



R. 2639

IV LII  
CAESARIS STELLAE  
NOBILIS ROMANI  
COLVMBEIDOS

Libri Priores Duo.


AD PHILIPPVM AVSTRIVM  
PHILIPPI II. REGIS CATH. F.  
HISPANIARVM ET INDIARVM  
PRINCIPEM.




SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE,  
*Apud Sanctium, & Soc.*  
M. D. XIC.








# FRANCISCVS

## BENCIVS

### E SOCIETATE IESV

*Erudito Lectori S. D.*



**L**TS I COLUMBEIDOS libri duo, quos IVLIVS CAESAR STELLA sexto ab hinc anno à se compositos nunc primum edidit, ij sunt, vt gratulari potius, & gratias agere omnes auctori debeant, quòd gustum aliquem dederit totius operis, quàm quærere cur non expectarit, dum totum daret: occurram tamen admirationi aliquorum, qui accipientes quod datur, eius specie allecsi totum accipere maluissent. Atque id faciam auctore ipso approbante. Scripserat hos duos libros, excellentis ingenij, & in arte poetica suam supra ætatem, & admirationem omnium exercitatus adolescens, cum annum non dum ageret vigesimum: atque, vt est suarum rerum non magnus admirator, voluit eo in labore antequam procederet, expiscari iudicium aliorum. Ostendit igitur, vt eum primò nominem, cui primum ostendit, etsi suo iure primus omnium erat nominandus, M. ANTONIO MVRETO. exemplum misit ad lumen illud al-


† 2 terum

terum litterarum, quod peræquè lugemus extinctum, P E-  
TRVM VICTORIVM. Ac ne solum mortuos memo-  
rem, misit ACADEMIAE FLORENTINAE, am-  
plissimis viris, & præstantissimis ingenijs instructissima: Inspi-  
ciendum dedit duobus Petris, nostri sæculi ornamentis: A N-  
GELIO BARGAEO, & MAGNO. FVLVIO VR-  
SINO, viro optimo, longèque doctissimo. IO ANNI  
TONSO in omni genere sermonis, & humanitatis perfe-  
cto. ANTONIO QVAERENGO cuius magnum, &  
graue debet esse iudicium, ea videlicet in arte, in qua ipse plu-  
rimum præstat, ergo his inspicendum, audiendum MARIO  
CVRTIO, qui oculorum cæcitatem intelligentiæ acumi-  
ne, maximarumque rerum cognitione compensat, ac, ne om-  
nes numerem: quos aut Romæ esse compererat in hac re in-  
telligentes (sunt autem hac ætate permulti) aut in Italia, eos  
volebat esse talis scriptionis arbitros: ne, aut ingestis amico-  
rum laudibus, aut ipsius feruore ætatis rapi videretur. Inuen-  
tus est nemo, qui non exquisitissimis verbis extulerit inge-  
nium poetæ, ipsosque versus ita commendarit, vt modestiam  
suam præstare debuerit ingenuus adolescens, in ijs audiendis,  
quæ de se dicerentur. Non faciam hoc loco, vt adijciam tanto-  
rum virorum testimonio sententiam meam: ne videar cum  
laudando suffragari mihi, cuius disciplinae alumnus aliquan-  
do obtigit maior magistro. Cum hæc ita essent, iamque tam  
præclari poematis spargeretur fama, vt magna pars virorum  
in hac Vrbe Principum peterent eius sibi fieri copiam: ma-  
gnus ille ALEXANDER FARNESIUS Cardinalis,  
scientissimus iudex, patronusque munificentissimus erudito-  
rum, in suburbana sua villa cum legisset, vsque adeò proba-  
uit, vt in Hispaniam ad Serenissimum PHILIPPVM Ca-  
tholici Regis filium sua sponte curarit perferendum. Hinc  
autem eæ litteræ venerunt à summa doctrina, & prudentia præ-  
dito GARSIA LOAISA, qui à Rege sapientissimo ad-  
motus est spei Principis omnium maximi, vt non fuerit sine  
suspicio-

suspensione pertinacia editio suppressenda. Ex quo illud etiã  
STELLA assequetur, quodd ex hoc specimine operis, in  
quo perficiendo nunc progreditur, & eliciet sensum aliorum,  
quos non potuit consulere, & melius multo intelliget, quid  
in reliquo sequendum, quid fugiendum esse videatur. Ardet  
certè iuuenis, & iure id quidem, incredibili desiderio Regis  
inuitissimi, quo maxime stat Christiana Respublica, Angu-  
stæ eius sobolis, quæ nunc surgit, tanto præsertim sulca insti-  
tutore, SPES ALTERA RERVM. dominatricis de-  
nique HISPANIAE, laudes, si non pro merito, saltem  
pro studio celebrandi. quod cum tota vita se facturum polli-  
cetur, tum hac ætate, in qua nunc est, ita præstat, atque olim  
in minore tam diligenter præstitit, vt in tam vberi argumen-  
to, quamlibet magna à tam felici ingenio sperare debeamus.  
Et si hoc ipsum, quod nunc præbetur gratia exempli, tale est,  
vt ad laudis æternitatem satis esse possit. Quod tamen ipse,  
qua est animi magnitudine, non tam vult esse præteritorum  
præmium, quàm futurorum incitamentum. est enim proprium  
quoddam illustri STELLARVM familia, vt ingenio va-  
leant, & poetico artificio. Neque id tantum dictum propter  
IOANNEM BAPTISTAM qui est Pontifici Maximo  
à supplicibus libellis referendis, IVLII CAESARIS ger-  
manum fratrem, virum cum reliquis virtutibus, tum poetica  
laude ornatissimum: sed propter L. ARRVTIVM  
STELLAM. quem Papinius Statius in his studijs eminent-  
tissimum vocat. Ab hoc enim ARRVTIO STELLA  
STELLAS ortos stirpe antiquissima, consistans fama est, &  
vero ab opinione eruditorum, grauibus innixa argumentis,  
non abhorrens. & augebit nunc STELLA meus, quasi IV-  
LIVM SIDVS, non in genere solum suo, sed & in Heroi-  
corum poetarum, numerum stellarum. Recte enim poete om-  
nes stellæ: qui inter omnes rerum auctores clarissime micant.  
Itaque fulgebit semper (nec me amor fallit) vt nulla eum vel  
inuidiæ nebula, vel temporis obicuratura videatur obliuio.

Crescet

Crescet eius splendor in dies magis, & ab hoc ipso poemate, quod nunc partim datur, partim promittitur, admirabile accipiet incrementum. Est enim ipsum (& speciem vides) factum quidem ad exemplar antiquorum, sed tale, ut exemplum sit futurum posteris, qui similia vel cupient, vel audebunt. Vale. E Collegio Romano.



A D G A R S I A M  
L O A I S A M  
P H I L I P P I P R I N C I P I S  
I N S T I T V T O R E M V . C .

Iulij Cæfaris Stellæ

E L E G I A .




*NEC potis optato pinus se nautica portum  
Condere, ni felix per mare ventus agat:  
Nec mea ad extremum se ferre Columbeis, illam  
Ni patrocinijs pronebat aura tui;  
O' decus Hispana, spesque una Loaisa fama,  
Publica quo crescit sulca docente quies,  
Et duce te pueros vincit puer, integer aui*

*Laude vir ut magnos vincet utraque viros;  
Quod felix tandem est illo sub Rege futurus,  
Debet preceptis orbis uterque tuis:  
O quibus interea sese virtutibus auget  
Innumeris, annos expleat ille pares.  
Ergo me, captis quem spes promissa secundi  
P R I N C I P I S, iniustum sicere iussit onus,  
Iure fore: primis mains quod molior annis,  
P R I N C I P I S in laudes omne mouetur opus:  
Nam si, magna quibus sese domus Austria iactat,  
Interdum veteres ille recenset auos,  
Ut teneram incendant exempla domestica mentem,  
Perque sua longas Gentis it historias,  
Occurrent F E R D I N A N D U S, sexuque virago  
Altior, iniuncto par I S A B E L L A viro.  
Catholici nomen quorum meruere labores,  
Et pia pro sancta bella peracta Fide.  
His olim auspicijs trans littora nota C O L V M B U S*

Inten-

Intentatum alijs primus inivit iter,  
 Et titulos tot per maria inuia vexit Iberos  
 Victor, ad oppositi regna reposta poli,  
 Non ventis rabies, nec inhospitius aetheris ardor  
 Magnanimum pelagi nec tenuere mine.  
 Iuit, & ingentem Phœbi amulus ambiit orbem,  
 Et demito mundum iunxit utrumque mari.  
 Vix illum, innumeris licet aëre denatet alis,  
 Fama per immensis fœsa sequuta vias.  
 Quem cartis intexam audax metuentibus atra  
 Nocte tegi, ni me ludit honoris amor;  
 Perpetuum ut longi monumentis insitus aui  
 Floreat, & populi docta per ora volet.  
 Viuat, & ut factis immanibus obruit omnes  
 Prisca quot in lucem sæcla dedere, viros,  
 Sic non laude minor, cui nil anus auferat ætas,  
 Alite forsan erit carminis ille mei.  
 Et procerum pietas æterna micabit Iberum,  
 Prima mihi à summo cura futura Duce:  
 Extera tentantem pro Relligione COLVMBVM  
 Regna procul, quorum est sponte sequuta manus.  
 Tu modo magnum vna decurre LOAIS A munus;  
 Tuque PVK cæptis maxime dexter ades,  
 Quem sapere ante annos mirata Hispania gaudet,  
 Nec, tantum quo se Principe tollat, habet.  
 Perge volens, & te Regi, quem nomine reddis,  
 Redde PATRI factis, & pietate parem.





# COLVMBEIDOS

## Liber primus.



**I**NVENTVM pugnata canopia  
bella per orbem,  
Magnanimumque Ducem, terris qui  
primus Iberis,

*Axis ad oppositi populos, ignota Quiqueia  
Littora fecit iter, secretaque regna retexit.*

*Ille graues rerum constanti pectore casus  
Pertulit, & magnos pelago, terraque labores,  
Inceptis dum monstrum Erebi felicibus obstat,  
Multaque bellando expertus, dum tecta locaret  
Tuta suis, ritusque pios, moremque sacrorum  
Conderet, unde nouas passim venerata per aras  
In summos nunc religio successit honores.*

*Tu modo, qua iustos nunquam frustrata vocatus  
Vota foues hominum, & promisso munere damnas,  
Virgo Parens, sic te terra, caeliq. potentem  
Agnoscat, Natique tui sub Rege PHILIPPO  
Indus uterque pari veneretur numina cultu,  
Affer opem, aspiराque mihi, quodcunque Columbus  
Gessit equis, & classe, tuum est: Te iusta iuuantem  
Pralia saepe graui rerum in discrimine sensit,*

A

Te

*Te duce durum vicit iter, trans solis, & anni  
Ire vias ausus: Tu me tua dona canentem  
Diua mone, cæptisque volens ingentibus adsis.*

*At tu magne Puer flos orbis, & ultima terris  
Expectata quies: longo defessus ab euo  
Regnandum tibi cum Genitor concesserit orbem:  
Excipe, puberibus que prima sacramus ab annis,  
Munera deuota monumenta, & pignora mentis.  
Tempus erit, cum facta Patris miranda nouantem  
Carmine te maiore canam, quandoque feroces  
Contuderis Turcas, & Regum colla minantium  
Ad sacra templa trabes curru sublimis auito,  
Fanumerosque mari referes ab utroque triumphos:  
Nunc tibi militiæ curas; dum mollior etas  
Inuidet; auspicijs maiorum inuenta tuorum  
Regna lege, & pugnanda animo iam concipe bella.*

*Soluerat Hispano iam dudum littore classis  
Solis in occasum pelagi tentare latentes  
Missa sinus, positaque alio sub sydere terras:  
Intactas penitus terras, quas omnis iniquo  
Damnatas æstu nequicquam credidit atas,  
Desertosque vacare locos, & inhospita regna:  
Iamque supra Hesperidas varijs iactata periculis  
Errabat pelago in magno: tamen omnia contra  
Ventorumque minas, seuique incommoda cæli  
Longum insistit iter, Dux tanta ad munera lectus*  
Christofo-

Christophorus, ceptisque ardens audacibus instat.  
 Et iam aura aspirant faciles, mirataque monstrum  
 Non prius incurua rostro diuisa carina  
 Subsidunt ultro, & motus freta cœrula ponunt:  
 Ipsi latantes ignoto corpore pisces  
 Emergunt pelago, nauesque attingere gaudent.

At contra diri longe regnator auerni  
 Inuidia stimulis, odioque agitated, & ira;  
 Detegat Ausonius ne regna occulta Columbus  
 Antiquosque nouet ritus, melioraque gentes  
 Ad sacra conuersas lustralibus abluat undis;  
 Multa putat, si quâ properantem auertere classem  
 Possit ab incepto: velit æquora feruere flammis,  
 Astra tegi tenebris, cœlum imbribus omne resolui;  
 Ipse inferre faces, dare noctem, immittere nimbos.  
 Sed quid agat? sedet hæc summo sententia Patri.  
 Flet tamen, & tandem hæc inuito ex ore profundit.

Ergo, ego quæ magnas Asia, Libiaque per urbes  
 Tantorum impensis operum Mahomete ministro  
 Damna dedi superis; victor pelagique, meique  
 Largius inuento Ligur hic modò sarciet orbe:  
 Quo solo amissi casum solabar Olympi.  
 Et patiar, cedamque libens? dent iura subactis  
 Christiade populis, ritusque, & sacra resigant,  
 Deturbentque solo fratrum simulacra meorum:  
 Illis credula plebs operosas erigat aras.

*Illis vota dicet, terris expulsus, & alto  
 Rex Erebi vacua regnabo inglorius aula,  
 Et sat erit manes pœnis urgere nocentes:  
 Qui toties superis hostem me inferre superbis  
 Ausus, & indignans generis subeuntis honorem  
 Eieci primos felici ab sede parentes,  
 Vincar ego? atque meo memet Ligur arceat orbe?  
 Non equidem, quod si mea tanta potentia non est  
 Magna satis, spargã arma, serã noua crimina pugna,  
 Tollam undas, cœlumque, Erebumque, orbemq; ciebo  
 Gentis in iniussa excidium: pars linte a retro  
 Vertat, & in Ligurem crudelibus ardeat iris,  
 Totaque frangatur studia in discordia classis:  
 Si pelago tamen infandas euadere naues  
 Conrigerit, partem arma serant, partem hauriat ignis,  
 Aegra neget victum tellus, nec fœdera seruent  
 Indociles iuga ferre Indi, Dux ipse Columbus  
 Aestuet externo venas incensus amore,  
 Aut cadat ante diem, miseroque in funere secum  
 Interrupta trahat funesti exordia facti:  
 Sic tibi, sic leges aliens imponere Mundo  
 Vane Ligur dabitur, nostrosque euertere cultus.  
 Dixit, & infrendens magno clamore sub auras  
 Erigit immundo mixtas cum sanguine flammæ,  
 Talis odor, talis se faucibus egit ab atris  
 Halitus, abruptis qualem eructare caminis*

*Aetna solet : iam se notas conuertit ad artes  
Improbis, immanesque dolos in pectore versat.*

*Demens qui tantas incassum concipit iras  
Dum superum sese committere viribus audet,  
Nec meminit deiectum alto loca in infera caelo.*

*Continuo ruit ad naues, ubi multa querentem  
Quod se vix notis iuuenem commiserit undis,  
Et tot pertulerit duro sub Rege labores,  
Burgensem videt Henricum; quem regna petendi  
Numquam audita prius, & adhuc sine nomine gentes  
Vanus amor dubio suasit confidere ponto,  
Nunc piget: ergo locum insidijs, tempusq; nocendo  
Nactus atrox hostis furiales exiit artus,  
Et caudam sinuosam, & vela nigrantia pennarum,  
Ardentesque oculorum orbis, notumque colorem  
Et vocem, & gressus vultumque effingit Iantis,  
Sanguine quem iunctum Henrico, patriaq; creatat  
Nunc Burgos, olim Ausonijs clara Auca colonis;  
Militis a simulat formam, procul ardet in armis  
Aureus, aurata volitant in casside pluma,  
Aurea cetra humeris, lateri micat aureus ensis:  
Mox prior Henricum aggreditur, dictisque furorẽ  
Vipereum inspirat. Iam cursum luna peregit,  
Cum ferimur pelago, & fugientem querimus orbẽ:  
Atque utinam nobis lux illa extrema fuisset  
Visa mari, qua prima fuit; quando omnia retro  
Inpeius*

In peius ruere, & patriam spes cassa videndi.  
 O miseri mala nostra omnes vicere timores:  
 Nam quid ego sentos, tempestatemque procacem,  
 Quae Cererem tumidis omnem pene obruit undis,  
 Et penitus puri corrumpit munera Bacchi:  
 Quid memorem rapido cor uulsam turbine classem?  
 Aspice, adhuc tantæ superant monumenta ruinae:  
 Nec satis: En etiam, ceu nos incommoda rerum  
 Nulla premant, miser as urget penuria naues  
 Externa fractæ quæ tempestate fatiscunt.  
 Nusquã certa domus: terris prohibemur, & undis.  
 Vera loquar, nostri cœlestia numina mentem  
 Indignata Ducis, rabies quò ducit habendi  
 Fingentem vanos quos auro exhauriat orbes;  
 Crediderim has nobis e cœlo immittere pestes.  
 Per solem hunc, qui cuncta videt, per sidera iuro,  
 Tempore, quo prima sparguntur cœrula luce,  
 Sæpe mihi in somnis materna apparet imago  
 Scissa genas, canosque manu laniata capillos,  
 Nate age, carpe fugam, teque hinc, ait, eripe præcepis  
 Rumpe moras, age, carpe fugam; nam funera classem  
 Dirâ manent, rabiesque omnes absument edendi.  
 Sic effata, sinum lacrymis, mare questibus implet.  
 Scilicet hæc olim dederat promissa Columbus?  
 Scilicet hæc urbes? hæc aurea regna canebat,  
 Et speramus adhuc, & inania vota fouemus?

Cui Ligurum non nota fides, secundaque fraudis  
 Pectora? sed longo fac nos superesse labori,  
 Et tandem optatos Indorum attingere portus,  
 Indomitasque ultrò sese submittere gentes:  
 Ipse suo reget arbitrio Ligur omnia solus,  
 Solus erit victor, Italisque imbellibus urbes  
 Diuidet & nostro quasitas sanguine prædas;  
 Illi aurum montes, subiectaque flumina mittent.  
 Nos humiles anima, quas gloria nulla sequetur,  
 Horrendos rerum in casus, mortemque volentes  
 Fruimus: nostri fructum feret ille laboris,  
 Fortunaque serox dulci, quocunque libido  
 Suaferit ire, vagas animo laxabit habenas:  
 Quin potius dum strata iacent nec dum æquora tristis  
 Versat hyems, dulces patriæ remeamus ad oras,  
 Et Ligurem externis tumidum præcordia regnis,  
 Et socios, quibus ille animum spe pascit inani,  
 Deserimus, primos ubi sol induxerit ortus:  
 Quare age totam armis, totam instrue remige nauim,  
 Quæ cura commissa tuæ, postquam alta silebunt  
 Æquora, noxque diem pallentibus obruet umbris.  
 Erret aquis, queratque sibi noua regna Columbus,  
 Si quæ regna tamen soli sunt nota Columbo:  
 Nos tandem antiqua repetamus littora terræ.  
 Dixerat, ille odijs furysque recentibus æger  
 Dicta sequi velit, atque abitus spem pectore toto,

Tota mente secat, patria quacunque reliquit  
 Cara abiens, animo, quamuis oblita, recursant,  
 Otiæque, & vitæ studia intermissa quietæ  
 Sed tamen heret adhuc, curisque ardentibus anceps  
 Exeditur, comites reditum ne forte parantem  
 Impediant, magnisque negent abstinere cœptis  
 Permetuit, iam dudum animos expertus Iberos  
 Qui letum excipiant alacres famamque profuso  
 Sanguine emant. Ergo his Perilū, cui credere sensus  
 Apuero arcanos, curasque assueuerat omnes,  
 Unanimem alloquitur dictis. Quo nā vsq; trahemur  
 Spe dubij procul a patria? nunquamne labori  
 Finis erit? nunquamne lares celebrare paternos  
 Osculaque in natos, expectantesque licebit  
 Diuidere uxores? sed per maria inuia semper  
 Spes Liguris vanas, & inania cœpta sequemur,  
 Dum classem quassatam undis absorbeat æquor?  
 Atque utinam (votis cum nil super ira relinquat  
 Iusta Dei) terris nos euehat æstus Iberis  
 Extinctos, patria saltem ut condamur arena,  
 Funeraque Europe notescant nostra per vrbes.  
 Si mihi non stabili iam dudum mente sederet  
 Immotum, quemuis potius durare laborem,  
 Omnibus intrepidum caput obiectare periclis,  
 Quam dare vela retro, patriæque in tectare uerti,  
 Me certa eriperem morti, quin hoc mihi nuper



*Magnanimus suadebat Ians. Hic plura volentem  
 Dicere, non patitur Perilus. Si certa per undas  
 Regna, latus mundi qua torridus obsidet æstus,  
 Aeternæque urgent nebulae & durata solo nix,  
 Classe Ligur peteret, tibi cæpta animosa sequendi  
 Iure animo perstaret amor, sed ludicra postquam  
 Dicta vides, & adhuc tot per loca inhospita vanos  
 Quærimus Antipodas, rerumque increscit egestas:  
 Quid prohibet terra fines remeare relicta,  
 Presentemque exire necem? Qui sponte periculis  
 Inuoluit se se, & letho temerarius offert:  
 Ille quidem, ut meritis, crudeli funere vitam  
 Perdat inops fama: veterum nos sanguis Iberum  
 Laudatam turpi claudemus sine iuuentam?  
 Et medijs procul ignoti condemur in undis?  
 Ipse Ligur potius tantorum causa malorum  
 Occidat, & scelerum pœnas expendat acerbas:  
 Nos patriam repetamus, & æquora nota secemus.  
 Ille suos eat Antipodas, quos axe latentes  
 Opposito, solis non proximus excoquit ignis,  
 At gremio tellus inamabilis ubere pascit,  
 Et nulli Ligurem præter nouere Columbum.  
 Tu nauim sub nocte para, mihi cura labantes  
 Interea dictis sociorum impellere mentes  
 In reditum ad patrias, & amore incendere terra:  
 Parce metu, atque animum cunctantibus exue curis,*

Vertere iter nostræ spes est super una saluti.

Talibus unanimi dictis accensus amici  
Henricus, cum nox tenebras optata reduxit,  
Naui aptat, patriamque mari parat ire remenso.  
Tantus agit misero mentem furor, omnis auita  
Cessit laudis amor, fama que extincta cupido.

Iamque potens voti secum grauiora uoluit  
Monstrum informe erebi, stygiaque ab sede Pauorẽ  
Excitat, ut classem cæcis terroribus omnem  
Impleat, inceptisque metu desistere cogat.

Protinus ille humeris alas pallentibus aptat,  
Seque tremens agit ad naues, cui frigidus Horror  
Fit comes, & lento repens Ignauia gressu.  
Hic varias sese in facies ignobile monstrum  
Induit, insinuatque animis, atrumque timorem  
Immittit, torpent inuita ad iussa phalanges,  
Et magni piget incepti, tædetque laborum;  
Omnibus ante oculos lethi præsentis imago  
Terribilis, iam iam de cælo afflarier igne  
Quisque sibi, per igne tegi surgente uidetur;  
Horror inest animis, trepidos Pauor alligat artus.

At Perilus varios confusa in plebe tumultus  
Excitat, atque auidas terra dulcedine mentes  
Commouet: huic natos, sessamque ætate reducit  
Matrem animo, & primos deserta uxoris amores,  
Huic veteres, frustra quos iam suspiret, amicos

*Ni reditū voret in patriam, Ligurēque relinquat  
 Incertum quo tendat, adhuc tamen ire volentem.  
 Fit strepitus, rumorque alitur consensibus irgens.  
 Omnibus vnus amor Hispana ad littora cursum  
 Flectere, desertoque domum remeare Columbo,  
 Detegat externas Titan ni crassinus oras;  
 Quin socios, ipsumque Ducem, si forte repugnet,  
 Inuadant armis. Et iam delat' sa polo nox  
 Merferat humanas letheo flumine curas;  
 Solus adhuc, nec somnum oculis, nec corde Columbus  
 Accipit, at partes animum deducit in omnes.  
 Senserat ille famem tota crudescere classe,  
 Et vulgi variare animos, certumque minari  
 Exitium, spes nulla super, diuisa recessit  
 Terra procul, passimque lues increfcit eundo  
 Continuo supplex oculos ad sidera tollit,  
 Taliaque illacrimans duplicato poplite fatur.*

*Summe Pater, si non prae'dandi insana libido,  
 Non amor imperij, patrijs me excedere tectis  
 Suasit, & infido vitam committere vento;  
 Sed tua diuerse colerent vt Numina gentes,  
 Pelle famem, vulgique nouos compe'sce tumultus.  
 Si tamen has pœnas mea facta indigna reposcunt,  
 Ah nimium malefacta, grauique obnoxia pœna,  
 Me me adige in tenebras, intorto fulmine solum  
 Deijce me, meritumque flagrantibus obrue flammis:*

Quid socij meruere mei? quos fidere ponto  
 Egit amor: cultusque tuus: da littora saltem  
 Tangere, & optato tandem succedere portu.  
 Non mortem horremus, vitam effudisse iuuabit  
 Tela per, & flammis: pariant modo funera laudem  
 Nostra tibi, discantque noue tua nomina gentes.

Audijt orantem supera de gente minister  
 Alipotens, vt cælo aderat delapsus ab alto:  
 Olli cura pij quondam commissa Columbi  
 Cum primum tenero tetigit pede limina vite.

Nam cuiuscunque suus cælestum ex agmine custos  
 Mittitur aerias nascenti in luminis auras:  
 Ille regit sensus, sopitaque semina recti,  
 Quæ nobis primo natura inuenit in ortu,  
 Excitat, ille sua, nutrix ceu sedula, cura  
 Assistit custos animo, stimulisque iacentem,  
 Ab miserum terra si mortifer applicat error,  
 Increpat vt se tollat, iterque affectet olympo,  
 Cuius & inscripto curas, & facta libello,  
 Et pia dicta notat, longumque adseruat in auum,  
 Vt Christo quondam exhibeat cum crimina iudex,  
 Et vitas hominum supremo in tempore quæret.

Nec mora, remigio volueris ferit aera penna,  
 Ardentesque Ducis gemitus, generosaque secum  
 Vota tulit: quæ postquam alti gens ætheris hausit,  
 Mota prece est, iustasque viri miserata querelas.

Extrem-

Extemplo densi, dextra, laevaue coronant  
 Regis Tergemini solium, vocesque precantis  
 Ostentant, tacitoque omnes eadem ore reposcunt

Ipse sedet, nebulaque alte subnuitur aurea,  
 Syderibus quæ picta sinum procul omnia magna  
 Luce replet, variatque vagos incerta colores:  
 Non aliter, niuea vestit quæ colla columbæ  
 Nunquam eadem, similisque sibi sub sole videtur  
 Pluma leuis: nunc purpureo fulgere pyropo,  
 Nunc virides auro credas circundare gemmas,  
 Spectantumque oculos dubia sub imagine ludit.

Sub pedibus Natura parens, primæque rerum  
 Materies, & motus, & irremeabile tempus,  
 Atque anni quadriceps in se redeuntis imago,  
 Illum leuato speculi candentior orbe

Vestis obit, quæ sunt, quæ mox ventura sequuntur  
 Quæque fuere prius, superis spectantibus offert  
 Inconsuta chlamys: carentia tempora cingunt  
 Bissenæ circum radij: non spicula lucis  
 Cælicolæ sufferre valent, non ora tueri  
 Comminus, oppositisque obnubunt lumina pennis

Ut Pater omnipotens tanto in discrimine cernit  
 Esse suos, monstrumque Erebi succendere classem  
 In furias, gentemque odijs versare quietam,  
 Communemque legit cælestum in fronte dolorem:  
 Annuit, & puerum iubet ocys athere labi

Unum ex alitibus, fessasque accedere naues  
 Ut tandem ponti longis erroribus acta  
 Speratos tangant portus, non cœpta retardet  
 Aut metus, aut male suada fames, nō fœta dolis gens  
 Misa crebo; liquidi subsidant marmoris ira,  
 Et lux optatas ostendat crastina terras:  
 Sic fixum est, summique Patris hæc certa voluntas.

Ille volat, nitido perfusum lumine calum  
 Risit, & obstantes penitus cessere tenebra,  
 Pictaque non solita tremuerunt æquora luce.

Forte Duci serus labentia lumina somnus  
 Presserat, & curas inter subrepserat agras;  
 Cui se per noctem stellata in veste videndum  
 Obtulit, & placido sic Nuncius ore loquutus.

Tu nunc ignava potes indulgere quieti?  
 Onimium secure tui, secure tuorum:  
 Iam fugiet veniente die comitesque relinquet  
 Immeritum qui te stimulis fœdialibus odit,  
 Perfidus Henricus, iam per maria alta rebellem  
 Aspicias care repetentem mœnia terra.  
 Eia age, conciliumque voca, sociisque furorem  
 Excute, conceptosque metus; nam lumine primo  
 (Sic placitum Superis) incognita littora tanges,  
 Et Christum, ut, acri promittit nominis omen,  
 Christofore in nova regna feres, iam se æquoris vnda  
 Sternit

Sternit, & equati spirant in carbasa venti:  
 Ipse adero, ne gens immani emersa baratro,  
 Implicet insidijs improvida pectora vulgi,  
 Inficiatve odijs, terrave cupidine vexet.  
 Nec fari me vana putes, tibi Nuncius adsum,  
 Aeterni Patris imperio, demissus ab astris.

Hæc ait. Ille toro surgens; en omina latus  
 Tanta sequor; modo Sancte faue, promissaque serua,  
 Quicquid erit, laus vestra omnis, tū plurima magnā  
 Matrem humilis, superosq; orat, summiq; Parentis  
 Imperio parere parat: mox imperat omnes  
 Acciri socios, positus exercitus armis  
 Ad loca iussa fluit, lucem funalia flammis  
 Dant circum, trepidantque rotantia vertice sumū.

Venit & Henricus, nam postquam Nuncius ales  
 Christophorum admonuit, mandat aq; prima peregit.  
 Illum adit, effugiunt mutato e pectore pestes  
 Tartarea, menti que lux redditur ægra:  
 Non tamen irarum caussa, veteresque dolores  
 Funditus effluxere animo, sic æquoris alti  
 Postquam discordes commorunt cærulea venti,  
 Si ponant, stridorque omnis, fluctusque residat,  
 Se tamen vnda agit, scopulisque insicta reclamat.  
 Ipse dehinc folio Dux talia cæpit ab alto

Magnanimi comites (neq; enim nescitis, & omnes  
 Exhaustas pelagi furias, tot naufraga saxa

Tot scopulos, cœlique minas: superata ferendo  
 Omnia: qui nouus hic mentes, ac pectora terror  
 Tantus habet? quò vis animi vetus illa recessit?  
 Nil desperandum Christo Duce. si maris undas  
 Hactenus, & cœli rabiem vicistis iniqui,  
 Inceptis & adhuc immoti haretis in iisdem:  
 Nunc, postquam casus rerum superauimus omnes,  
 Nec requies procul est tantorum optata laborum,  
 Ibimus in patriam indecores? non pectora tanget  
 Gloria? non superum cultus? quem credere dignis est  
 Expectare nouum nobis actoribus orbem.  
 Nec tamen, aut vrbes pelago repetamus Iberas,  
 Aut noua sectemur felicitis littora mundi,  
 Sæua fames, tumidique ideo maris ira quiescet:  
 Sunt eadem, ò socij, subeunda pericula nobis:  
 At non euentus idem est, fructusque malorum.  
 Nam si ventosis animam ponamus in undis,  
 Dum noua tentamus Christo nomine regna,  
 Felice obitus: quis enim neget auspice tanto  
 Ire necem in certam, & meliora capessere regna?  
 At si dum cursus iteratis classe relictos,  
 In patriam reditus tempestas sæua negarit,  
 Quid mala tot pelago toties exhausta iuuabunt?  
 Quid tantum superasse maris? quid denique viles  
 Proiecisse animas? ah ne vos sæda cupido  
 Occupet, & falsa pietatis imagine ludat.



Lōga quidē Hispanas procul hinc via diuidit vrbes  
 Quis scit an externum lux proxima detegat orbem?  
 Tempora quid ventura uehant, euentaque rerum  
 Cæca nocte premit prudens Deus, alta nec ullus  
 Mente queat summi decreta attingere cæli.

Quin mihi nocte sub hac liquido puer æthere lapsus  
 Visus adeste palam, & certas promittere terras,  
 Aurea cum primo cæli plaga sole rubescet:  
 Somnia nec vanos deludunt ludicra sensus.

Ergo agite inuicti comites, grauioraque passi,  
 Ut vos mirentur, nequeant equare minores,  
 Interea vanis animum defendite curis  
 Ne patria persstringat amor: permittite Diuis  
 Cætera, nauis fragas cautes, vada cæca monebit  
 Christus, & ipse uiam turbata per æquora pandet,  
 Ipse epulas cælo, nos si fera cogat egestas,  
 Demittet, rebusque uolens succurret iniquis.  
 An non sic olim Isacidæ deserta uagantes  
 Tesqua per, & syluas cælesti nectare pauit?  
 Ostenditque uiam, silicisque è uulnere fontem  
 Largisuum elicuit? an non uia facta per undas  
 Oceani, gressus qua legifer intulit heros,  
 Dum populum extorrem promissa in regna reducit?

Vix ea dictas fremor procerum turbata per ora  
 Fractus ijt, qualem percussa Aquilonibus edit  
 Sylua loquente coma, qualem stridentia reddunt

*Agmina apum, densa cùm circum aluearia mussant.*

*Tunc annis, meritisq̄ grauis Tudēsis Hoiedas,  
Gloria, quem uarijs quæsita laboribus ingens,  
Consilijs quòd bella suis, dextraque iuuasset  
Boetica, sublimem comites super extulit omnes;  
Surgit, & hac placido ore refert. Non aquora cursu  
Ut rudis imbueret pelagi, fortissime Ductor,  
Deseruit patrios pubes Hispana penates,  
Seque volens Duce te sub tanta pericula misit;  
Non amor is sterilis fama, sed ut ultima ponti  
Claustra super, noua regna polo depressa sub imo,  
Detegeret, patrum senior que nescijt etas,  
Atque alium Christi sacra sub iuga mitteret orbem;  
Hic labor extremus, longarum hac meta viarum  
Ultima erit, nec te, certam licet omnia mortem  
Intentent, victus licet improba gliscat egestas,  
Deseret, optime Dux, tecum aut moriemur, & ingēs  
Hoc erit extinctis immitti morte leuamen,  
Magna ausos cecidisse, nec expauisse repostas  
Axe sub aduerso, noua per freta, querere gentes  
Aut tecum extremos hominum penetrabimus Indos,  
Regnaque venturis reserabimus inuia sacris;  
Scilicet exhausta post tanta incommoda classis  
Et venti rabiem, & satiatas equoris iras,  
Propositum rumpamus iter, patriamque petamus,  
Ut qua (si veri quicquam mens prouida cernit)*

*Pramia*

*Premia iam nostris immensa laboribus instant,*  
*Audaces Galli, Lusitaniue sequenti*  
*Ceptum iter, arripiant, samaque opibusq; fruantur,*  
*Nos patriam interea, & sedes foueamus auitas:*  
*Quid gentes Itala? quid tota Hispania dicat?*  
*Si classem hanc, magni vix primo in limine cepti,*  
*Non pelago, non Marte, metu sed mortis inani*  
*Deuictam, patrias repetentem viderit oras:*  
*Non nos facta patrum, non nos victoria tales*  
*Boetica promisit, variisque exercita virtus*  
*Nostra malis, rebusque audacia maior in arctis.*  
*At si quem vulgi è numero vesana cupido*  
*Incendit reditus, curisque infamibus angit*  
*Ille eat, & caros petat illaudatus Iberos,*  
*Nos te, maxime Dux, aderit dum vita, sequemur.*

*Talia dicenti comitum manus omnis, & omnes*  
*Affensere duces; intus cœlestis agit vis*  
*Pectora enim, solidique animos spe firmat honoris.*

*Ipse quoque Henricus, cui non tolerabile visum*  
*Aequor, & antiquas patrie rediturus ad oras,*  
*(Proh pudor) insidias, abiturumque in nocte pararat,*  
*Nunc tantum si quâ factis extinguere famam*  
*Dedecorum queat, & lethum pro laude pacisci,*  
*Secum mente agit. Tibi que corda iuuua Sancte*  
*Spiritus, ethereos afflas qui sensibus ignes?*  
*Et iam se cœlo tenuis diffuderat aura*

*Nuncia ventura lucis, caput illa coronat  
 Interea, violisque sinum immortalibus implet.  
 Cum procul innumeras anates, turbamque sonantē  
 Mergorum, denso per sudum examine ferri  
 Prospiciunt, tremulumque externi luminis ignem  
 Aut uidet, aut vidisse putat Lelepeus Arisba  
 Obscuras inter nebulas, lucemque malignam;  
 Ostentatque hilaris, vocemque ad sidera iactat.  
 Eia agite ò comites, & qua data signa sequamur:  
 Ipse manu nobis vibrantem ex atebre flammam  
 Ecce quatit Deus, & felicia littora signat.*

*Dixerat: interea consumpta nocte ruebat  
 Aurea lux, cælumque nouo candore rigabat.  
 Non alias cinctum maiori lumine duxit  
 Illa diem: fugere truces toto aëre venti,  
 Ardentesque micant aura, tonitruque secundo  
 Dat signum Pater omnipotens: cum surgere tellus  
 Visa procul, sensimque humiles se attollere montes.*

*Ilicet excelsa Rodericus ab arbore primus  
 Clamorem ingentem tollit, terramque salutat:  
 Terram omnes, terram ingeminant, tormentaq; cæli  
 Aemula, dum flammã, & ventosa tonitrua miscet,  
 Expediunt: una sonitum percussa remittunt  
 Aequora, & insolito tremefacti murmure montes.*

*Qua Dux magne tuum tentabant gaudia pectus?  
 Quid tibi tunc animi? cum iam vicina videres*

*Littora*

Littora, tantorum studio quaesita laborum?  
 Nempe humilis tacito tecum sub corde volutas  
 Felices rerum euentus, acceptaque gratus  
 Cuncta Deo, superisque refers: non caeca cupido  
 Imperij, fastu tumefactum tollit inani,  
 Non auri rabies, & amor sceleratus habendi.

Famque propinquabant terra, iam carbasa nauta

Demittunt malo, puppesque ad littora vertunt.

Cum sic Ductor ait. Salve ò pulcherrima rerum

Terra ferax, vni mihi tot seruata per annos,

Quam propter certa potui me exponere morti:

Ne, precor, externos ne dedignare colonos.

Nam neque nos vento, pelagique erroribus acti

Afferimur, seculo sed inobservata priori

Per loca rexit iter, nosque huc Deus adpulit auctor:

Cede Deo, simul haec, simul ingens undique clamor

Nauticus: assensu responsant aequora rauco.

Et iam deducta siccum insedere carina.

Continuo littus superis ingressus amicis

Oscula dat terra, & supplex procumbit humi Dux

In genua, & lacrymans haec imo è pectore fundit.

Quas tibi? quas tanto referam pro munere grates

Summe Pater? Tu me penitus nil tale merentem,

Qui nomen, ritusque tuos trans cognita ferrem

Sydera legisti, tantumque audere dedisti:

Tu mulces venti rabiem, tu saeva coërces

Mon-

*Nuncia ventura lucis, caput illa coronat  
 Interea, violisque sinum immortalibus implet.  
 Cum procul innumeras anates, turbamque sonantē  
 Mergorum, denso per sudum examine ferri  
 Prospiciunt, tremulumque externi luminis ignem  
 Aut uidet, aut vidisse putat Lelepeus Arisba  
 Obscuras inter nebulas, lucemque malignam;  
 Ostentatque hilaris, vocemque ad sidera iactat.  
 Eia agite o comites, & qua data signa sequamur:  
 Ipse manu nobis vibrantem ex atehre flammam  
 Ecce quatit Deus, & felicia littora signat.*

*Dixerat: interea consumpta nocte ruebat  
 Aurea lux, cælumque nouo candore rigabat.  
 Non alias cinctum maiori lumine duxit  
 Illa diem: fugere truces toto aëre venti,  
 Ardentesque micant aura, tonitruque secundo  
 Dat signum Pater omnipotens: cum surgere tellus  
 Visa procul, sensimque humiles se attollere montes.  
 Ilicet excelsa Rodericus ab arbore primus  
 Clamorem ingentem tollit, terramque salutat:  
 Terram omnes, terram ingeminant, tormentaq; cæli  
 Aemula, dum flammā, & ventosa tonitrua miscet,  
 Expediunt: una sonitum percussa remittunt  
 Aequora, & insolito tremefacti murmure montes.  
 Quae Dux magne tuum tentabant gaudia pectus?  
 Quid tibi tuac animi? cum iam vicina videres  
 Littora*

Littora, tantorum studio quaesita laborum?  
 Nempe humilis tacito tecum sub corde volutas  
 Felices rerum euentus, acceptaque gratus  
 Cuncta Deo, superisque refers: non caca cupido  
 Imperij, fastu tumefactum tollit inani,  
 Non auri rabies, & amor sceleratus habendi.  
 Jamque propinquabant terra, iam carbasa nauta  
 Demittunt malo, puppesque ad littora vertunt.  
 Cum sic Ductor ait. Salve ò pulcherrima rerum  
 Terra ferax, vni mihi tot seruata per annos,  
 Quam propter certa potui me exponere morti:  
 Ne, precor, externos ne dedignare colonos.  
 Nam neque nos vento, pelagique erroribus acti  
 Afferimur, seculo sed inobseruata priori  
 Per loca rexit iter, nosque huc Deus adpulit auctor:  
 Cede Deo, simul hac, simul ingens undique clamor  
 Nauticus: assensu ressonant aquora rauco.  
 Et iam deducta sic cum insedere carina.

Continuo littus superis ingressus amicis  
 Oscula dat terra, & supplex procumbit humi Dux  
 In genua, & lacrymans hac imo è pectore fundit.

Quas tibi? quas tanto referam pro munere grates  
 Summe Pater? Tu me penitus nil tale merentem,  
 Qui nomen, ritusque tuos trans cognita ferrem  
 Sydera legisti, tantumque audere dedisti:  
 Tu mulces venti rabiem, tu seua coërces

Mon-

Mōstra Erebi, classēque tumentibus aequoris undis  
Ereptam toties felici in littore sistis ;

Ah ne forte tuam mea nunc facta impia mentem

Auertant, sed dexter ades, sed dirige fessos

Ignarosque via, rerumque exordia firma .

Dixerat, & mortis monumentum insigne subacta,

Quadrifidum, ingentem, transuerso stipite truncum

Sublimi in tumulo tolli iubet, ocyus omnes

Incumbunt operi, cuneisque immania findunt

Robora, nec requies, donec venerabile signum

Attollunt cælo, & spumanti in littore figunt.

Corpora dehinc longo curant exhausta labore,

Coneussisque famem arboribus solantur, & herba,

Pocula sunt vitrei fontes, nam cætera rerum

Munera, quæ pressis secum aduexere carinis

Pontus habet; sed forte nemus dum cuncta per altū

Luminibus lustrant, præda quo ducit egentes

Impertuna fames, procul in conualle reducta

Populeas inter frondes sub monte lacunam

Aspiciunt, stagnoque anates innare tacenti;

Ollis picta rubet cervix, argentea canent

Pecora, nec certa variantur tergora pluma.

Constitit hic Hispana phalanx, turbamq; volātem

Ut vidit, quæ nunquam humero deponere leuo

Tela solet, plumbi procul effundentia glandes

Aere cauo, inclusum si sulphur adederit ignis

Plena



Plena nitri gremium sectique in frusta metalli,  
 Corripuere manu, nemus, & inga visa moueri,  
 Intremuitque palus, & iam resupina per undas  
 Corpora uoluntur miserarum infixam natantum.  
 Accingunt praeda iuuenes, uiridique sub umbra  
 Instaurant epulas, dapibusque expleantur opimis.

Interea Ductor cum iam deserta per alta  
 Omnia lustrasset late loca, littora postquam  
 Desolata uidet, populisque uacantia regna,  
 Ulterius pelago gentes penetrare repostas  
 Constituit, notisque iterum se offerre periclis:  
 Tantus amor cultus uanorum abolere Deorum,  
 Hæc illum cura una dies, noctesque fatigat.

Protinus irato quassatas equore naues  
 Componunt, solidisque trabum compagibus armant,  
 Materiam sylua alta dabat, pars fontibus urnas,  
 Pars naues urnis pomisque agresibus implent,  
 Pars clauos, cuneosque nouant, labefactaque firmant  
 Vincula, mox sicco multa uia e littore classem  
 Detrudunt, natat uncta ratis: iamq; Ausser in altis  
 Vela uocat, placidique inuitant marmora ponti,  
 Carbasæ dant cælo nauta, & uada liquida uerrunt

Ipsæ sedens celsa in puppi resluentia Ductor  
 Cærule, nec stabili spirantes flamine uentos  
 Obseruat, terræ signa indubitata propinqua.

Nox ruit & cælo stellas educit aperto,

Ille nigrantis currum denso agmine matris  
 Intortum per iter, varia sub lege, sequuntur:  
 Protinus externi secum miratur Olympi  
 Hac ignota tenus lucentia signa Columbus,  
 Et cupidos picto suspendit ab aethere visus.

Illic astra polo, nostris maiora, sereno  
 Scintillare videt, fuluaque effulgere luce  
 Aurata Crucis in speciem: mox cætera, nunquam  
 Visa prius, tacito suspectat sydera vultu,  
 Insuetæque animum nouitatis imagine pascit,  
 Dum socios ignes puro aureus ore coegit  
 Lucifer, & noctem oppositas exegit ad oras.

Linquitur à leua sublimi abscondita ponto  
 Insula, victrici qua iam subiecta Quiqueia;  
 At nunc Cannibali priscis erepta colonis  
 Littora dira tenent, insensique omnia circum  
 Oppida diripiunt, populisque imbellibus instant:  
 Infandum genus: haud morem nec publica belli  
 Iura colunt, atro captorum sanguine sædam  
 Sanguineq; ingluuiem membrisq; tremētibus explēt:  
 Tum quos sera atas peioribus ingrauat annis,  
 Selectos in frustra secant, extremaque multo  
 Membra sale aspergunt, tectisque affixa reponunt:  
 Osibus albentes agros, & squallida tabo  
 Viscera parietibus videas pendere cruentis.

Hic superum è numero iuuenis cui credita classis  
 Cura pie

*Cura pie (neque enim tantum est suus additus uni-  
 Cuique hominum è cælo custos, sed regna, sed urbes  
 Quas gremio mare nauigerum, quas maxima tellus  
 Undique habet, diuùm custodia certa tuetur)*  
*Ergò suspectis ne fortè aduertat arenis,*  
*Et sese imprudens in aperta pericula mittat,*  
*Impulit ipse manu classem, volat illa per undas*  
*Stridula, Cannibalumque altis cita præterit arces,*  
*Matytinaque sinum celeri fugit incita cursu:*  
*Culta feris loca virginibus, procul inde virorum*  
*Interclusi aditus generi, ni tempore certo,*  
*Alma Venus cum vere nouo sarcire caduceæ*  
*Damna monet gentis, facibusq; inflamat amoris,*  
*Cannibalos in tecta vocent, communia regni*  
*Ipse sceptrâ tenent, pacemque, ac bella ministrant,*  
*Et pulcra populos in libertate tuentur.*

*Non aliæ, nox una mares cum sustulit omnes,*  
*Victrix turba feram possedit scemina Lemnon.*  
*Tandem humilis prorâs accedere Cuba videtur*  
*Et sese è tumido paulatim attollere fluctu,*  
*Donec delati in portus, terraque potiti.*

*Interea nemorum è latebris confluxerat ingens*  
*Turba virùm, piceis cui pendet ab auribus aurum,*  
*Nigrantesq; ne artus nullo velantur amictu,*  
*Vidit ut armatas turrita in classe cohortes,*  
*Veliuolisq; leues instratas curribus undas*

Obstupuitque, retroque pedem exanimata reflexit;  
 Tunc equitum è numero iussi erupere, frementesque  
 Exhortantur equos, & lora undantia laxant,  
 Famque humeris instant fugientis, at acrior illa  
 Carpere prata fuga, & rapido petere auia cursu,  
 Donec abit procul, arboribusque obtecta recessit  
 Ex oculis, nec iam possunt aquare sequendo  
 Cornipedes, nemus obstat, & altior implicat herba.

Ergò equites (quanquã ora pudor notat, iraq; mētē  
 Sollicitat) relegunt iter, ignotosque per agros  
 Undisonum ad littus versis referuntur habenis.

Talis ubi leporem iuga permontana sequutus  
 Ereptum ex oculis nusquam uidet, eger, anhelans  
 Ad dominum redit umber, & acri fluctuat ira;  
 Iamque velit prædæ, laudumque incensus amore  
 Ocyor ire iterum, campo si fortè patenti  
 Discurrant excita suis animalia lustris,  
 Intentisque oculis, arrectisque auribus astat,  
 Anteeunt catuli, atque auras sectantur odoras.

Postquam nulla datur Cubam explorare potestas,  
 Nec loca, nec gentis mores, laxata ferenti  
 Pandunt vela Euro, volat incita flamine classis,  
 Nec mora, vicinis Quiqueia allabatur oris,  
 Finitimas inter longè quæ maxima terras  
 Insula, diues opum, & saxosis aspera campis  
 Unde loco prisca nomen fecere coloni

Haytumq;

Haytumque vocant, spumanti gurgite pontus  
 Tundit utrinque latus, mediamque ingentia findit  
 Flumina, quorum auro flauentes torquet arenas  
 Cotyus, ex altoque volutus monte Cibavus.

Hos olim, ut perhibent, diuersa ab sede profecti,  
 Cum iam Matytina arderet ciuilibus armis,  
 Eiecti patria, pœnisque ingentibus acti  
 Deuenerere locos populi, quo ventus, & vnda  
 Impulit, hic letam mirati littoris oram,  
 Camposque, syluasque, & amictos gramine colles,  
 Piscososque lacus, Cemys in prima vocatis  
 Omina, quâ longo se se explicat area tractu,  
 Frondentes posuere domos, & nomine, magnam.  
 Consilijs, opibusque urbem dixere Cypangam  
 Nunc terra hos prima tractus, & littora latè  
 Rex Narilus tenet imperio, populosque beatos  
 Aeterna sub pace regit, ni saepe feroces  
 Cannibali inuitum funesta in praelia cogant.

Ut primum optatis Ductor consedit arenis,  
 Viginti lectos equitum (nanque omnia circum  
 Culta videt) Regem & mores, & mœnia gentis  
 Explorare iubet res ponsaque certa referre,  
 Dehinc equitum legio, peditumque exercitus omnis,  
 Cum primum humentes tenebras aurora fugarit  
 Crastina, sub ducibus campo se ostendet aperto,  
 Imperat, interea tristes secludere curas

*Defessosque animos placida laxare quiete.*

*At ne quis populare agros, neu vertere pradas  
Audeat ad littus, spatiiisque excedere iussis:*

*Ni faciant, pœnas, lethumque infame minatur.*

*Et iam purpureis Titan emerferat undis  
Aureus, & campos sæcunda luce serebat:  
Nec mora fit, peditum plenis è navibus undam,  
Castra vomunt, reboant colles, pulsusque procella  
Ferripedum, magno tremit omnis murmure campus  
Pulvereus, nigramque eieclat ad æthera nubem.*

*Sex turmae, totidemque Duces, hos tota sequuntur  
Agmina, tercentum, Hispana robora pubis,  
Cuique merent numero pedites, quorum una, cavato  
Liventis plumbi glandes intorquet ab ære,  
Seruatumque ignem fumanti in fomite gestat,  
Altera pars humeros ingentibus ingrauat hastis;  
Omnibus in morem crines premit ærea cassis,  
Omnibus it collo candentis circulus aris  
Sutilis, & gladius lævum latus armat Iberus.*

*Iamque in conspectu varijs legio omnis in armis  
Regis adest, dant signa tubæ, quassataque fracto  
Timpana tæta tonant strepitu, sedet altus, & omnes  
Dux legit, instructasque acies, animosque paratos  
Et tam certa ducum mirari pectora gaudet.*


*Tu modo, quæ veterum monumenta insignia rerû  
Adseruas, nigrique è faucibus eripis orci,*

*Liuida*

*Liuida ne nomen sacrorum obliteret atas ,  
 Tu mihi fama globos equitum , peditumq; maniplos  
 Suggere, quique Duces externa in bella sequuti  
 Magnanimos ausus, cunctamque ex ordine gentem:  
 Non ego res tenebris possim, terraque latentes  
 Erucere, & cœli nitidas efferre sub auras,  
 Tu mecum ingentis ni facti euolueris oras.*

*Primus adest Buylus , talos cui vestis ad imos  
 Undique nigra fluit , quo non magis utilis alter  
 Veracis Fidei ad cultum , & pietatis amorem  
 Ore cedere viros, moresque inhibere nocentes ,  
 Et mulcere animos , & pectora flectere dictis;  
 Nec semel astra super cœlique volubilis orbes  
 Mente fugit, fruiturque Deo, secretaque summi  
 Aeteris in terras desert, hoc scilicet illum  
 Omnipotens Genitor magno dignatur honore,  
 Contemptis pro diuitijs, fastuque parentum ,  
 Nam leges Benedicte tuas, & facta sequutus  
 Crescentem instituit tua per vestigia vitam,  
 Deseruitque domum, atque adytis sese abdidit vltro,*

*Ille manu ostentans patientem mortis iniqua  
 Fixaque transuerso distentum brachia ligno  
 Bisgenitum Regem, pedibus per scrupula nudis  
 Ft primam ante aciem, plenoque hac ingerit ore.  
 Hoc Duce vincendum, ò comites, huic fidite Signo.*





# COLVMBEIDOS

## Liber secundus.



*T* iam fama nouis totam terroribus  
 Urbem  
 Concutit, atque animos stimulis ingenti-  
 bus urget :

*I*lla volans, grauidas ignoto milite naues,  
 Aeratasque virum turmas pratexere littus  
 Detulit, & curuo Cypangæ insidere portu;  
 Iamque armis in Regna ruentiam templa domosq̃  
 Diripient, ipsumque petent in vincula Regem;  
 Talia per trepidas rerum miracula gentes  
 Monstrum infame canit, succensaque pectora bello  
 Inferrum vocat, attonita discurretur Vrbe  
 Pars sudibus, pars lethiferis armata sagittis,  
 Saxa gerunt pars magna, venenatasque macanas,  
 Omnibus ora niger tingit color, omnibus herent  
 Indigetum fronti simulacra impressa Cemorum.

*N*on secus aucta mora, & crassa fuligine pinguis  
 Fumida flamma, domos, tacita sub nocte, potentum  
 Si voret, inque trabes, quas iam gustauit, habenis  
 Effusis furat, exitium restinguere ciues  
 E tota temere Vrbe ruant, pars flumina plenis

*Subue-*

*Subuectare urnis; pars alta euellere tecta  
 Caussam igni: varijs clamoribus intonat aether,  
 Et violata nigro pallent astra aurea fumo.*

*Primus adest, iaculisque manum letalibus armat  
 Regia progenies Tarilus, quem deinde sequenti  
 Ersilus & Sagaris, partu quos edidit vno  
 Mixta parens Cemio, formaeque insigne paternae  
 Ostentant summa surgentia cornua fronte,  
 Nudi ambo, latis intecti frondibus ambo.*

*Ecce manu praeceps animi Corineus obustum  
 Torrem quassat agens, sociosque incendia poscit  
 Vociferans, furisq; fremens; quid statis inertes?  
 Tutus an ut captis incendat rura colonis,  
 Interea, praedasque ad littora congerat hostis,  
 An potius securam armis aduentet ad Urbem,  
 Nosque domos inter, Diuumque altaria querat?  
 Ferte faces, rapite arma. ratesque inuadite flammis,  
 Author ego. Vix hac. Iam tela facesque iuuentus  
 Sana fremit, sudibusque manum flagrantibus implet,  
 Scintillant ignes, it crassus ad aethera fumus;  
 Et iam dispositi in turmas inimica petebant  
 Littora, cum tectis Narilus decurrit ab altis  
 (Incerta neque enim fama leuis aura, sed Antes  
 Nuncius ecce volat, caecosque instare tumultus  
 Edocet, inque minas, atque arma ardescere vulgus)  
 Tela inhibere iubens, magnaue ita voce profatur.*

*Quo*

Quo ruitis? cohibete animos, sauumque furor em  
 Mittite: non armis hominum, non viribus ullis  
 Tempus eget: classem hanc alieni a sinibus orbis  
 Venturam cecinere Cemi: quis numina Diuum  
 Bella ferat contra? non si tota ingruat armis  
 India, venturae poterunt obstare ruinae.

Si quã viam fortuna dabit, si quã aspera vertent  
 Fata preces; tunc insidijs, tunc viribus usus:  
 Hanc seruate precor meliora in tempora mentem.  
 Nunc potius naues ultro excipiamus amicas,  
 Iungamusque fidem: quod si decedere regnis  
 Forte velint nostris, victuque, opibusque iuuenemus.

Sic ait, at curis animum mordetur amaris  
 Et secum sub corde Cemi responsa reuoluit.

Nam cũ sceptrâ patris quõdã post funera Beuchi  
 Acciperet Narilus, terrisque instructus, & alio  
 Cannibales erepta reposcere regna pararet,  
 Iuit ad Oboinam scitatum oracula rupem,  
 Quid tandem super imperio ventura minetur  
 Hora, quid in Cemum magna promittat Hayto.

Est prope Samana fines sub monte recuruo  
 Antrum ingens, unde, & solem, teque aurea Phœbe  
 Emersisse ferunt: ornis frondentibus undat  
 Desuper, horrentique locum nemus obruit umbra.  
 Huc, & Samana gentes, Cibauaque tellus  
 Conueniunt, trepidisque petunt oracula rebus:

*In medio Cernius antrum tenet, aptaque ligno  
 Inclusus responsa canit, venturaque falsis  
 Inuoluit, dubijsque animos ambagibus implet.  
 Quò postquam attonito solus cum Rege Sacerdos  
 Venit, & intactis ridentem floribus aram  
 Permulsit, fusosque solum spirauit odores  
 Tres perhibent illos Cereris sine munere luces,  
 Et totidem insomnes traxisse ex ordine noctes,  
 Orantes veniam, & precibus responsa petentes:  
 Limina contremuere, recussa que mugit ara  
 Horrendum, rupesque audita que sylua moueri  
 Nam Cernium Pater omnipotens ignota parentem  
 Reddere & ambiguis mentita oracula verbis  
 Immiscere, domans premit, & que dicta remittat  
 Ipse preit, tum vox arrepta perculit aures.*

*Ne luctus, ne quere tuos ne quere tuorum  
 Optime Rex, fuimus Cernij, Quique ia quondam  
 Terra fuit, iamque ecce dies infanda propinquat,  
 Imperio que te tentantem plurima frustra,  
 Arceat aut ritus dediscere cogat auitos,  
 Ecce virum innumeras longa cum veste phalanges  
 Externo vehit huc incognita classis ab orbe,  
 Que tellus Cibana, & que Samana videbis  
 Funera, si certa quisquam obuius ire ruina  
 Audeat, insidiasque dolosve intexat opertos,  
 Non illos obscena fames, non equoris ira*

Non coniurati bella in communia Reges  
 Proposito flectent, ut tonsa bipennibus illex  
 Aerio qua monte caput sub nubila condit,  
 Damna per & , cædes ferro deducet ab ipso  
 Magnus opes, animumque hostis vim viribus, artē  
 Artibus exhibit, nec spes super vlla salutis,  
 Et grauiora manent venturos damna nepotes,  
 Namq; olim summa Regū de gente PHILIPPVS  
 Quē grauidi imperijs domus efferet Austria Cælo,  
 Nascetur, patria nulli virtute Secundus  
 Non satis vnus erit totum quem maximus orbem  
 Regnator premet, & paribus franabit habenis,  
 Illi sceptrum etiam tellus tua debet, & omnis  
 India, prob quantas in me excidiumque Deorum  
 Quos colitis pœnas quantas ferus ille ciebit  
 Per populos passim strages si sacra recusent  
 Et patrios mutare Cemos, maris arua rubescant  
 Cædibus, & vestro nulla ora cruore carebit.  
 Mittet & ille viros magnum quos nomen IESV  
 Audito quo terra tremat, tremat arduus æther  
 Et procul inferni turbant septem ostia regni  
 Insigni ornabit titulo quibus aurea vitæ  
 Fumum & opes strepitumque exosus Ignatius orbis,  
 Et morum præcepta dabit, tuus inclyta ciuis  
 Aeternumque Nauarra decus, hi morte superbi  
 Pro superum cultu, pro Relligionis honore

Exponent cruda fidentia pectora morti.

Tūc Reges noua sacra humiles, & vulgus, & omnis  
Accipiet Quiqueia, nouasque assuescet ad aras  
Thura dare; atque alios casta prece poscere Diuos,  
Et veteres vltro dediscent secula mores.

Finierat, sumumque ingentem faucibus efflat:  
Jam suus, & tetris arserunt cornua flammis.

Hi Marilum monitus in publica bella volentem  
Ire vetant; vultumque hilarem, mentemque benignā,  
Vestit in Hispanos: seseque ad littora ferri  
Prima iubet: subeunt oneri quos incluta factis  
Dextera; quos altum plebi genus eximit ima,  
Bisseni iuuenes; partitoque agmine Regem  
Attollunt humeris: lato sedet ille pberetro  
Sceptra tenens, magnamque premit sub pectore curā.  
Hinc, atque hinc armata cohors, cui tecta tuera  
Regia, & immensi custodia credita regni,  
Nudi omnes, vario tincti omnes membra colore,  
Agglomerant; non his gladij, non cuspidis usus,  
Stipitibus duris, sudibusque armantur acutis.

Pone subit magna matrum comitante caterua  
Anacaona foror, qua non prudentior vlla  
Imperio populos regere, & dare iura subactis;  
Seu velit iniustos grauibus compescere pœnis,  
Seu meritis equa partiri premia lance:  
Fœmineos neque enim calatos dignata superba

*Attrectare manu, atque artes addiscere mutas:*  
*Sed regnare palam fraterna assuevit in aula,*  
*Supra annos, sexumque, animos curamque virilem*  
*Gessit, & antiquos equasset sc̄mina Reges,*  
*Ni furor ardentis virtuti obstasset amoris:*  
*Quin etiam belli, quàm pacis amabilis artes*  
*Edidicit, cursuque feras, iaculisque sequuta*  
*Saxa per & montes equo in certamine vicit,*  
*Molliaque assiduo duravit membra labore*  
*Leuam arcu, grauida que humeros armata pharetra:*  
*Nunc tamen Ausonio cum prodeat obuia Regi*  
*Illa caput, nulloque intectum corpus amictu*  
*Et roseis ornarat eburnea brachia fertis,*  
*Membra colorati velabant cætera flores:*  
*At leues humeros depexo contegit auro*  
*Crinis, ab effuso qui vertice plurimus errat.*

*Vt prope deuentum ad naues, caua tympana signũ,*  
*Vocalesque dedere tubæ, cum protinus Heros*  
*Ausonius, Narilo è castris procul obuius exit:*  
*Ecce tubæ raucos iterum, percussa que cantus*  
*Tympana congeminat, strepitu Cælũ omne resultat:*  
*Hinc atque hinc sese in partes exercitus ambas*  
*Diuidit, & latum dat iter, qua magnus utrinque*  
*Se Regum comitatus agit, vexilla que campo,*  
*Arma que reclinant, tum celso à littore Ductor*  
*Per medias se fert acies, quem tendere contra*

*Ut videt, ad terram pheretro Rex Indus ab alto  
 Desluit, ac tutum cui multo occurrit honore  
 Dux prior, & verbis ultro compellat amicus.*

*Non ego bellandi vano succensus amore  
 Veni equidem, Rex magne, tua grauis esse quieti,  
 Et fortunatam trahere in certamen Haytum,  
 Hæc alijs sit cura, quibus nec cura quietis  
 Vlla sua, nec honoris amor, me regis Iberi  
 Maxima cui nostri pars sponte obtemperat orbis  
 Quo nec pace prior, bellique laboribus alter  
 Iussa nouas egere per hæc freta querere terras,  
 Et tentare viam, quam nulla recluserat ætas,  
 Ignotas priscis alat hæc plaga an vltima gentes,  
 Aequor inexhaustum emensos, loca sæta periclis,  
 Nos tandem vestris fessos Deus appulit oris;  
 Ne pigeat regno excipere, aut permittere classi  
 Littoris hospitium, neue in commercia nostri  
 Vos ultro inuitantem, & sædera diuitis orbis  
 Ignorate mei mentem, ac noua munera Regis.*

*Talia mellito dicentis ab ore fuebant  
 Instar aquæ, fracto per leuia saxa sussero  
 Frigidior glacie, crystallo purior alla,  
 Quæ strepit, ardenti iessus solamen in astu;  
 Densũ humeris stupida aure bibit, nec sanguine nostro  
 Progenitum, at superæ referentem semina lucis  
 Ut lapsum summo miratur ab æthere vulgus.*

*Tunc*



Tunc Narilus contrà sic vocem in verba resoluit  
 Optime Dux, ego te, tantos qui pandis in usus,  
 Nec notos inter se orbem coniungis utrunque  
 Accipio, agnoscoque libens, Regisque, quod offers  
 Fœdus amicitiamque tui (nec facta refringam  
 Dum mihi per venas spirabilis influet aer)  
 Maxima quam Cypanga, tibi classique patebit  
 Hospitio, si forte meis considerare regnis,  
 At si vicinas adpellere federit Vrbes,  
 Arma rates victumque dabo. sic fatus, uterque  
 Complexu iungunt dextras & fœdera firmant.

Alter nigrantes intextis frondibus artus  
 Discolor hirsutumque caput; caput aureus alter  
 Cristata galea atque armis ardentibus artus,  
 Cætera debinc epulas permixta impune iuuentus  
 Aggere in herbofo instituunt cumulataque ducunt  
 Pocula, pars naues, & grandia quadrupedantum  
 Corpora mirantur, florentiaque agmina ferro  
 Pars velata notis pendentem cornua classem,  
 Ancora quam morsu stabilem fundauerat unce,  
 Tensaque non uno fluitantia flamine vela  
 Spiculaque, clipeosque & acute cuspидis hastas.

At non veliferis tantum Anacaona mouetur  
 Nauibus, Ausonio quantum in Ductore moratur,  
 Oraque, & augusti sublimis frontis honores  
 Suspicit, atque oculis totum cunctantibus ambit,  
 Et taci-

*Et tacitum interea per venas concipit ignem*

*Ac velut ardenti cui fusa a corde per artus  
Descendet toto iam iam ignea corpore febris,  
Nescius ille, leuem per & ossa ardentia flammam,  
Perque resultantes sentit discurrere venas:  
Nec longum in medio tempus, cum languida membra  
Ecce ferus tenet ardor, & omni corpore regnat.  
Non aliter pesti Virgo deuota futura  
Iam nunc ignoti vires presentit amoris,  
Inque nouas mentem deducit saucia curas.*

*Ductor ut attonitos rerum nouitatibus Indos  
Excitet, atque animis terrorem immitat inanem,  
Centum vicina suspendi è rupe columbas  
Imperat, & certo transfigier eminus ictu.*

*Extemplo ramis acerum connexa retortis  
In tenues are ex solido deducta canales  
Arma citi arripiunt iuuenes, angustaque ferrè  
Spiramenta caui contrito sulphure complent,  
Vnde aditus flammæ: silicemque, & cætera postquam,  
Explorant sibi quisque suam, quo dirigat ictum,  
Signat auem, penitusque oculos immobilis hæret:  
Tum rota tacta manu, vincloque exuta remisso  
Cum strepitu ruit, & silicem reuoluta prementem  
Obterit: illa repente micat, simul ignis, & ingens,  
Fit tonitrus: nam quo tenuis deduxit hiatus,  
Ignea vis immissa intus sulphurque, nitrumque  
Corripuit*

Corripuit, quæ pressa sinu tubus aneus imo  
 Clauserat, atque aditu victrix spirauit aperto,  
 Plumbea glans displosa leui cita turbine fertur:  
 Diuisa strident aura; tum certa volucrem  
 Quæque suam ferit; ille animas in rupe relinquunt,  
 Præcipitesque cadunt; plumas rotat aura reuulsas,  
 Fumiferaque oculis lucem eripuerunt tenebræ.  
 Attoniti trepidare Indi, ceu fulmina cælo  
 Disiliant, campique solum labente debiscant,  
 Pars fugit, inque cauos sese abdidit auiam montes,  
 Littora pars legere, & celeri loca frondea cursu.

Ut primum cecidit pavor, atque horrenda quierunt  
 Murmura iam, fumusque euauit ater in auras;  
 Ingentem efferri galeam mira arte politam  
 Imperat, hoc Narilum præstanti munere donat  
 Christophorus monumētū animi et graue pignus amici;

Illic Fernandum in Mauros pia bella gerentem  
 Pro re communi, pro Religione tuenda  
 Fecerat, & multo spirantem illuſerat auro  
 Docta manus; sociamque tori, comitemque laborum  
 Reginam addiderat: tortis ibi criminibus Afros  
 Non expectato rumpentes fœdera bello  
 Cernere erat, tumidosque instructo milite campos;  
 Nox fauet, insidiasque umbris defendit amicis:  
 Centum olli scalis aduersa in mœnia furtim  
 Expositis, somno domitam, nec bella cauentem

*Frrumpunt armis Zabaram, simul ilicet adsunt  
 Pallentes Erebi pestes, quas orcus aperto  
 Expuerat gremio, captaque immiserat urbi  
 Exitium, flammam illa ferrumque ministrant,  
 Inspirantque viris cades, fluit undique sanguis,  
 Undique mors, nigra, luctusque in veste vagantur.*

*Parte alia diuos secum in pia praelia ducit  
 Rex pius, Alhamanque inimico milite cinctam  
 Obsidione leuat, illic trepidantia Maurum  
 Agmina, magnanimi vultus horrescere regis,  
 Aspiceres, cecisque fuga se condere syluis:  
 Illum autem Zabara cades, temerataque templa  
 Ultum armis, quò sata vocant, quò prauius anteit  
 Armatas acies manifesta in luce Iacobus  
 Candidus aurato clara inter nubila ferro,  
 Pergere iter, Loscaque agros, atque oppida vastat:  
 Debinc campos ingressus, aqua quos diuitem Daurus  
 Innatat, Illoræ cultu sedata profano,  
 Templam Deo dicat, & summa desigit in arce  
 Signum immane Crucis, læta longo ordine gentes  
 Poplite procumbunt flexo, precibusque salutant.*

*Nec procul impositam sublimi vertice montis  
 Obsedere arcem, præruptis aspera saxis  
 Stant loca, difficileque aditus, mæsta agmina circiò  
 Longo fessa labore sedent, cum protinus inter  
 Sublimes nebulas, dextra Deus ipse nigrantem*

*Flam-*

Flammam intorquet agens, ruit illa micantibus astris  
 Turbinis in morem, totumque illapsa repente  
 Moelinum inuoluit, missi simul aethere venti  
 Spirantes aderant, infusaque flumina pesti  
 Dant animos, volitant obscura in nube fauilla  
 Ardentes, nimbusque ad sidera sumidus undat.

Hinc superum auxilio freti, & felicibus armis  
 Moenia Granatae veniunt, desoque coronant  
 Milite, non aditus clausa, non exitus Vrbi  
 Amplius, hic flauis undantia messibus arua  
 Oppidaque, ac pagos dispersis ignibus vri  
 Fecerat, & magnis quassatam molibus Urbem  
 Certa noui dare signa metus, angustaque votis  
 Tecta Deum, lataeque vias efferuere longo  
 Concursum matrum lachrimis mœsta ora rigantum,  
 Et pueros dextra implicitos ad templa trabemum.

Interea studijs sese concordibus omnes  
 Exercent acies, pars alto in puluere giros  
 Dat celeres circum, saltuque assurgit in auras  
 Vectus equo, pars saxum ingens, aut missile ferri  
 Pondus sublato longe intorquere lacerto,  
 Pars signum immixtis certat contingere telis.

Nec non obsessæ prope mœnia conditur Vrblis  
 Sancta fides, pars templa nouant, pars aggere muros  
 Cingere, & aquatas astris attollere turres,  
 Pars fundare domos, opere omnis Boetica feruet.

*Et iam finis erat bello, iam Bobdalis ultrò  
Sceptrum Fernando, Regnique insignia mittit;  
Ipse habitu, vultuque humilis ferrata recludit  
Limina portarum, & venientes excipit hostes.*

*ſbant inſtructi ordinibus, Urbemque petebant  
Magnanimi Heroes, caroque Iſabella marito  
Ad latus it, pulchra comitum ſtipata corona,  
Atque animis ſexum, curiſque virilil us implet.*

*Pone ſubit procerum in medio Mendotius Heroſ  
Albo inuectus equo, cui ſacri inſigne ſenatus  
Tempora purpureo fulgent umbrata galero:  
ſillum candenti tenuiſſima velat amictu  
Carbaſus, & certo criſpatos ordine flexus  
Centum agit errabunda, ſacroque interſerit oſtro:  
At circum extremas niuei ſubteminis oras  
Finxerat argento, leuique inſperſerat auro:  
Ipſam autem obducto credas tranſfulgere velo  
Coccineam chlamydem, atque imis illudere plantis;  
Hos equitum globus & peditum manus anteit ingès.*

*Addiderat victo labentem flumine Daurum  
Mollius, & nitido ludentes athere centum  
Pennatas puerorum acies: Procul inde tenebras  
Horrendas viſu, flammamque inamabilis Orci,  
Illeſt monſtra Erebi Regnis expulſa receptis  
Antiquas repetunt ſedes, ſuperosque relinquunt.  
At furor anguſta galea celatus in ora*

Post tergum aratis compressus brachia nodis,  
Arma super sedet, & victricia vincula mordet.

His Narius gaudens donis (quãq̃ artis, & usus  
Nescius) intentos oculos per singula voluit,  
Bellaque, fortunasque virum, atque ingentia facta  
Miratur tacitus, neque honori cedit: at omnes  
Partitur Cererem in naues, partitur & angues,  
Quadrupedes angues, multo quos incoquit igne,  
Et mensis tantum regalibus India ponit;  
Addit aues, oneratque cadis agrestia vina  
E Cerere, & pressis palmarum exhausta medullis.

At Ductor (neque enim mentem consistere rerum  
Cura sinit) pelagi vada per stagnantia cœptum  
Pergere iter parat, & terras lustrare propinquas:  
Interea ne forte nouo Cypanga tumultu  
Fœdera perrumpat, neu bella occulta tumescant;  
Compactis turrim trabibus, vinculisque reuinctam  
Arboreis texit saxoso in vertice rupis,  
Sublimem, ingentem, ponteque insternit, & altas  
Subjicit his fossas, & propugnacula circum  
Tuta locat, munitque aditus: dehinc agmine centiũ  
Deligit ex omni, curam quibus imperat arcis:  
Magnaque ne Bacchi, Cereris neu copia desit,  
Prouidet, & vigili disponit singula mente.

Senferat hæc Erebi rector, vincique superbus  
Impatiens, altum indoluit: tum lumina contra

*Magnanimum Ligurem, comitesq; ardentia torfit,  
Et secum irato vix talia fundit ab ore.*

*Et potuit? nec quicq; unde, nec ventus, & arma  
Profuerunt, comitumque metus, nec inhospita tellus  
Cannibalum, nec diva fames, ne regna Quiqueie  
Tangeret, optatisque Ligur consideret aruis?  
Vicit, & imbelles iuga sub sua subdidit Indos,  
Et maiora parat, credo mea vincula supersunt,  
Namque aliud quid iam superest? iam fœdera iūxit,  
Iam populos ditione premit, iam condidit arces,  
Quin alias iter in gentes, noua tendere regna  
Molitur, penitusque meos delebit honores:  
Et patiar? quod si sententia cœlitibus stat  
Certa, nouo Ligurem leges præfigere mundo,  
Stat quoque certa mihi sententia regna tueri  
Que mea sunt, nec cadam ideo, sed & obuius ibo  
Ibo animis contra, Liguremque inimicâq; castra  
Insequar, ipse mihi Deus, & spectantibus undas  
Tollam iterum superis, euertamque æquora ventis,  
Infandamque ipso submergam in littore classem,  
Spargam iras, atq; arma iterû, nec vincar inultus.*

*Dixit, & horrendo toruum bis mugijt ore:  
Mugitu quo terra tremit, vallesque resultant  
Inferna, longeque caue intonuere cauerne.*

*At subito excitum tenebris ardentibus omne  
Spirituum genus, aeterno quos æthere quondam*

*Dispu-*



Dispulit omnipotens, sedesque excussit ad imas,  
 Multa reluctantes, belloque resistere adortos,  
 Conueniunt, illis longana in secula pœnis  
 Exercere animas hominum data cura nocentes,  
 Quos ubi confertos simul, atque in iussa paratos  
 Vidit, ab accenso Dux talia pectore rumpit.

Nunc validis nitendum animis, nunc robore firmo  
 O socij, ne noster honos, & gloria cedat,  
 Aequalesque Deo vinci patiamur inertes,  
 Cernitis ut pelagi tot magna per æquora vectus  
 Quiqueis Ligur extremas penetravit ad oras,  
 Iam ritus dabit ille novos, antiquaque sacra  
 Destruet, æquatique solo nos trudet ab aris,  
 Nostra etiam celebri victor captiua triumpho,  
 Credo equidem, simulacra vehet, vinctique catenis  
 Ante rotas Erebi densò ibimus agmine Reges,  
 Terrarum domini, & cœli stellantis alumni:  
 Nos qui bella Deum, socialiaque agmina contrà  
 Contulimus, dubijsque pares certauimus armis,  
 Nos igitur? nos mortali vincemur ab hoste?  
 O tantum prohibete nefas, restinguite flammâs  
 Serpentes, lapsisque simul succurrite rebus:  
 Tollite pacatas venis pignantibus undas,  
 Inque ipso gentem, & naues submergite portu:  
 Quin etiam ne forte meo quid restet inausum,  
 Aut intentatum ingenio, præcingere flamma

Reginam meditor, qua nulla ardentior unquam  
 Virgineas caeco succenderit igne medullas:  
 Haud labor hic ingens fuerit; se scilicet omnis  
 Sponte sua in Veneris curas Quiqueia resoluit,  
 Ipsaque adhuc tenero, nec plena etatis, ab ungui  
 Incestos animo meditari assuevit amores:  
 Continuo dulcem venis sitientibus ignem  
 Illa bibit, totaque ardebit mente Columbum,  
 Quem iam amat agra, nouūq̄, fouet sub pectore vulnus.  
 Ut reor, orantem spernet, lacrimasque cientem  
 Ferreus, & classē vicina ad littora vertet,  
 Noui ego iam indociles mihi se submittere sensus.  
 Vos facite indignam Virgo contempta repulsam  
 Ferre rudis, seuas furibunda assurgat in iras,  
 Quantum nec capere accenso sub pectore possit.  
 Ergo armis, caelo quam nunc Ligur extulit arcem,  
 Inuadat, lhetoque viros absumat acerbo:  
 Instigate odijs Indos, praeuertite falsis  
 Indicijs, rabieque animos accendite ferri:  
 Et ne se medium paci offerat, armaque damnet  
 Rex Narilus, prohibete, nouaque absterrite pugna:  
 Nec dubito, iam vestra mihi sat cognita virtus:  
 Sic Hispana solo inclinata repente ruet res,  
 Sic spē frustratus tanta Ligur aequora rursus  
 Trita petet: vos equabit victoria caelo.  
 Si tamen ulcisci socios temerarius armis

Audeat,

*Audeat, atque hostem toti se inferre Quiqueia,  
 Bella placent, apta illa dolis erit area nostris:  
 Quanta fames, quantus genti labor instat Ibera,  
 Quanta per armatos ibunt incendia campos,  
 Plenaque collectis ditescunt Tartara prædis  
 Christiadis aderunt superi: nec me altus habebit  
 Somnus, & auxilio nostros tutabimur Indos,  
 Nec quisquam in tanto rerum sibi cardine deerit:  
 Vincet, cui dederit dolus, aut sua dextera palmam.*

*Dixit, & ut seui furijs incendat amoris  
 Reginam, Aſmæ deo mandat, cui plurimus anguis  
 Colla per atque humeros sinuosis flexibus errat:  
 Illi cura data est sensus mortalibus agris  
 In Venerem hortari, scedisque exurere flammis  
 Molle iecur: toto nulla est tam dira baratro  
 Pestis, & egregijs hominum magis obuia cæptis:  
 Innumeri cingunt comites, ignara quietis  
 Suspicio, venasque igni suffecta Cupido,  
 Cui Spes læta subit, flammaque alimenta ministrat.*

*Post hos tabescens macie, & vix ossibus herens  
 It Dolor, haud illi proprius comes, omnibus ultrò  
 Addit se socium malesuadi pestibus orci:*

*Squallentes humeros, & membra exanguia palla  
 Marmorea tegit, atque aliena in veste superbit.*

*Fama est, cum fraudes dedignaretur iniquas,  
 Et versos hominum mores intacta Voluptas,*

Ad superos terris nudam fugisse relictis,  
 Exosumque genus misero cessisse dolori;  
 Ille prius qui nunquam humiles attollere coram  
 Audebat vultus, cacaque in parte latebat  
 Nudus, inops, iam se spolijs hostilibus ornat  
 Spectandus chlamide in nivea, totumque per orbem  
 Euolat, atque oculos mentita in imagine fallit.

Nec mora, iamque anima tenebrosa è sede rebelles  
 Erupere una, & cælo incubuere sereno  
 Protinus, ingenti fremitu, & stridentibus alis.

Sic caua præduris chalibum conflata metallis  
 Aequatura arces, turritaque mœnia terra,  
 Machina, si postquam mixto cum sulphure nitrum  
 Excepit gremio, contrusoque obijce sepsit,  
 Hauriat admotam graueolenti è fomite flammam,  
 Dat crepitum, magnaque expulsa repente ruit vi  
 Saxeapila ingens, & stridula dissecat auras,  
 Arua tremunt, fracto cadere æthere sydera credas,  
 Ecce procul diro percussa fulmine turres,  
 Tecta que celsa iacent, stat fumo, & puluere cælum.

Interea Ligurum Ductor postquã alta quiescunt,  
 Velaque felices tendunt crepitantia venti,  
 Certus iter celerare, sinusque aperire latentes,  
 His dictis Regi socios commendat amico.

Inclyte Rex rerum decus, & tutela mearum,  
 Dum populos alios, vicinaque littora tento

*Communem hanc turrim, & comites tutare relictos,  
 Et Ducis interea pro me precor accipe curam:  
 Sponte tuos illi monitus, tua iussa capebant,  
 Te Regem, dominumque colent, nomenque Columbi  
 Solum aberit, tutas defendent hostibus Vrbes,  
 Littoraque, & vigili portus custode tenebunt.  
 Tu rerum ignaros solerti protege cura:  
 Me certe nunquam tanti meminisse pigebit  
 Officij, ingratumque tibi nulla arguet etas.*

*Vix ea, cum subito Narilus: Dum vita manebit,  
 Fœdera, quæ tecum pepigi Dux magne manebunt,  
 Non si lapsa residat humus, non si æquora surgant,  
 Immotum solida quatient me mente ruina,  
 Solue metus omnes, rerum mihi cura tuarum  
 Semper erit, turrimque tegam, comitesque relictos,  
 Aeternumque tibi factis testabor amorem.  
 At modo te ventis ne regna occulta sequentem,  
 Ignotum penitus variarum ambage viarum  
 Fallat iter, pelagi quo non prudentior alter,  
 Quo te cunque feres, tecum hic meus ibit Alhetes.*

*Hæc ait, & lectum ripis fluuijalibus aurum,  
 Insuper Ausonio munus dat ferre Columbo,  
 Ille suos compellat, & hæc placido ore profatur.*

*Dum faciles spirant auræ, & maris unda silefcit,  
 Vicinas penetrare Vrbes, loca proxima Cuba,  
 Fert animus, vos interea quam struximus arcem*

*Concordes colite o socij: Gonzalius armis,*  
*Consilioque ingens pacem, ac si dura feret fors,*  
*Bella reget Dux vester; ab hoc sit primus Amilcar.*  
*His Ducibus Caribes, & si quos aduena classis*  
*Huc procul externis ad pradam vexerit oris,*  
*Pellite, vos opibus sponte, auxilioque iuuabit*  
*Rex Nariilus: nec vana fides, iam fœdera sanxit.*

*Hoc unum precor, ab vetitis ne forte rapinis*  
*Conscelerate manus; non his fundamina Regni*  
*Principijs iacienda noui, nec talia quondam*  
*Bisseni gessere viri, cum legibus orbem*  
*Fundarent: celebrate Deum, ritusque colendi*  
*Numina, mutatis paulatim inducite templis:*  
*Ipse adero, & meritis ingentia premia reddam,*  
*Post reddet maiora Deus. sic fatus ad altas*  
*Tendit iter naues, sequitur quem cetera pibes.*

*At iussi quamquam tristes, quamq̃ humida fletu*  
*Abcessu Ducis ora gerant, comitantur euntem*  
*Vnanimes socij ad littus, quos prouidus Heros*  
*Inter iter non pauca monet, teque optime primos*  
*Gonzali, blandisque affatur Amilcara dictis.*

*O socij, quorum in rebus mihi cognita duris*  
*Sæpe fides & magna usu experientia longo*  
*Suasit, ut huic curæ, quacunque erit illa, regenda*  
*Præficerem; nunc tempus adest, quo maxima virtus*  
*Vestra per ignotas spargat sua lumina gentes.*

Principio

Principio instabilis longe præsciscere sensus  
 Sit cura vobis populi: variatur in horas,  
 Ut pelagi facies, dubium, ac mutabile vulgus:  
 Adde quod hic rerum summas moderatur habenas  
 Fœmina, diuisi circumstant undique reges;  
 Forsitan aut rerum nouitas, suspectaue verax  
 Nostra Fides illos tacita inflammauerit ira:  
 Dissimulate metum interea, belloque parati  
 Viuite concordēs animis, pacemque fouete:  
 Quod si sedifraga vos iusta in prælia gentes  
 Forte trahent, armisque petent, insistite contra;  
 Hanc primum seruate arcem, spes omnis in illa est:  
 Bellaque dum in longum trahitis, dimittite certum,  
 Qui subito nostras hæc per mare portet ad aures:  
 Auxilio præsens adero, dabit India pœnas,  
 Et magno pacem hanc optabit forsitan emptam.  
 At si nulla dies sanctum inuiolabile fœdus  
 Fregerit, ut reor, atque utinam Deus orsa secundet,  
 Mollia ne soluat se segnis in ocia miles,  
 Procurate Duces: quot iam blanda ocia gentes  
 Exitio strauere graui, regnisque beatiss  
 Extrema steterunt caussa, cur victa perirent  
 Funditus exæquat a solo? post ocia præda  
 Cecus amor, Venerisque subit: ne pectora pestis  
 Heu premat hæc, dulcique irrepit in ossa veneno:  
 Ergo omni studio gentem exercete quietam.

Interea

*Intera vobis Narili, procerumque benignos  
 Conciliate animos, paulatim ritibus ultrò  
 Assuescent nostris, melioraque sacra capeissent:  
 Auctor aget Deus, atque sui inspirabit amorem.  
 Nam prius excelsis ardens in montibus ignis,  
 Quam Veri longum lateat, nec se ipsa palam lux  
 In cælum denso tenebrarum è carcere tollat,  
 Hæc, & plura dabat socijs præcepta Columbus.*

*Talis iners senio durisque laboribus æger,  
 Cum fragilem nato committit nauita cymbam,  
 Multa docet pelagi insidias: si subdola rident  
 Cærule, & æquatas somnus piger occupat undas,  
 Quid faciat: quid mox, si contrahet horrida cælum  
 Tempestas, nigrisque frement freta fracta procellis:  
 Quid varius solis, quid luna runciet orbis,  
 Ille tacet, monitusque locat sub mente paternos.*

*Et iam dira phalanx Stigijs emissa cauernis,  
 Quo classẽ pelagi spumantibus obruat undis,  
 Ingentes excire parat placido equore fluctus.*

*Principio dense solem inuoluere tenebra,  
 Quas grauido non terra sinu, non pontus in altum  
 Expulit, at nigris Erebi deduxit ab antris  
 Noctipotens legio, cæloque immisit aperto.  
 Nec mora, consequitur picea caligine nimbus  
 Secum hiemem, ventosque ferens: illi impete vasto  
 Aequora diripiunt, naues, quæ sorte paratæ*



Pontibus expositis stabant, reuoluta per altum  
 Vnda vado resfluente rapit, rursusque resurgens,  
 Ecce sinum ex longo trahit, atque ad littora maior  
 Monte ruit, nauimque nigris illidit arenis,  
 Credita quæ Ribio: cælum intonat, ictaque tellus  
 Horrendum ingemuit, mediamque in fragmina littus  
 Diuidit, illa viros cacis exponit in undis,  
 Quos frustra terræ adnantes vis incita venti  
 Impedit, illisque relabens æquoris æstus.

At quas Pinzonus regit & senioris Herilli  
 Dextera, crudelis vada per spumantia turbo  
 Raptat agens: frustra trepidi succurrere nautæ,  
 Et lheti vitare vias, omnem arbiter Orci,  
 Successum negat. Ergo undis furialibus actæ  
 Dant pesti latus, & laxis compagibus imbrem  
 Undique lethalem accipiunt: modo in astra feruntur  
 Gurgite curuato, modo tartara in ima dehiscunt  
 Præcipites, fracto ceciderunt carbasa malo,  
 Et clauos nigra secum abstulit impetus vnda;  
 Crescit aquæ furor, & scelerata insania venti.

Tum Ductor casu mentem percussus acerbo  
 Ingentes cumulare preces, superosque vocare  
 Auxilio; Siquid gentis te cura remordet  
 Christe tua, ser opem, & socios, classemq; benignus  
 Respice, namque potes, præsentique eripe ltheto,  
 Tantum effatus, & atheria demissus ab arce  
 Alatus

*Alatus iuuenis, classem cui cura tueri,  
 Venerat imperio summi Patris, ilicet omnis  
 Sæua cohors Erebi cæcis effusa tenebris  
 Intremuit: neque enim minitantem, & dura ferentē  
 Iussa pati, aut notis obsistere viribus ausi:  
 Mox paribus nitens hæc nuncius edidit alis.*

*Quis furor hic? quæ tanta repens audacia surgit  
 Bis victum, genus & vanas ardetis in iras?  
 Nec dum etiam vestri sat nota potentia Regis;  
 Ite nigras barathri in sedes: non æquora vobis  
 Adscripsit Deus, aut habitandas aeris oras,  
 Ite datas, ite in tenebras. Nec plura, morantes  
 Desuper urget agens, vibrataque increpat hasta,  
 Olli abeunt, cælumque leuant: tum protinus ingens  
 Ventorum posuit fragor, ac tumida vnda resedit,  
 Et iam molle salum Zephiri leuis innatat aura.*

*Obstupuere animis Indi. Tunc sydera Ductor  
 Aspectans, tendensque manus. Tibi maxime ponti  
 Rector, ait, Christe omnipotens, nunc debita rursus  
 Nostra salus: tu nos tot per maria aspera tutos  
 Aduehis huc, placidaque facis tellure potiri;  
 Tu modo præsentis seruas a funere classem:  
 Perge precor, nostrosque iuues ubicunq; labores,  
 Terrarum, pelagique potens, atque ætheris author.*

*Hæc ait, & lacrimis oculos subfundit obortis,  
 Amissisque animo comites miseratur amico.*

Continuo Canoas Indi insilvere cauatas,  
 Auxilioq; volant; clasisque in tuta reducunt,  
 Fragmina, relliquias pelagi, clauosque, rudentesque,  
 Instabilique legunt fluitantia marmore vela .

At Ductor quã speret opẽ , quã nam arte carinas  
 Iam laceras iterum adificet, sub pectore voluit  
 Tristis, & ardenti curarum fluctuat unda.  
 Ipse viam ostendit Narilus: prope littora surgit  
 Ardua silua ingens, montemque, & frondea late  
 Arua tenet; hanc immisso prosternere ferro  
 Edocet, inde legi reparanda accommoda classi  
 Robora. iam sumptis exercitus omnis in armis  
 Consilium exequitur Regis, cœloque minantes  
 Obtruncant Mamysos, non se magis altera dulces  
 Induit in fructus arbor, mentitaque morum  
 Guaiaba, præcipitemq; dedit Guanabana ruinam,  
 Non illam pressos terra curuantia ramos  
 Poma niuis grauida, squammisque aequalibus apta,  
 Non virides iuuere comæ: cadit & bona bello  
 Xagua, pugnantum fixis basura medullis,  
 Dadala si manus in longas deduxerit basas:  
 Iam labem traxit Cocytus, nascentibus idem  
 Si folijs, natisque decor sit fœtibus idem,  
 Palma erat: & largas gratæ potantibus umbra  
 Euersas altis imponunt curribus Hobos.  
 Te quoque dura manus terra deturbat Huijace

*Aeternis formosa comis, virtutibus ingens  
 Sancta arbor, decus inuenti, & noua gloria Mundi;  
 Nescia quantum olim auxiliij, certaue salutis  
 Ferre paras agro venturis pestibus Orbi:  
 Cum delapsa lues corrupto ex aethere, primum  
 Gallorum per bella, Italas irrumperet in Vrbes,  
 Nomen & à gente accipiet, mox crescet eundo,  
 Auctaque per populos caput altius efferet omnes.*

*Et sterilis pinus, & glandibus utilis ilex  
 Eruta supremum ingemuit: procul intonat equor,  
 Frondiferasque domos pauida liquere volucres.*

*Postquam vulneribus crebris euicta resedit  
 Sylua solo, plaustrisque inuecta gementibus omnis  
 Materies tandem ad littus, tunc cura nouanda  
 Classis Amaracino Liguri datur: ille quietis  
 Nescius urget opus, noctemque laboribus addit,  
 Et laxas mira arte trabes, lacerasque retexit  
 Compages laterum, cuneisque adstringit ahenis.*

*Atque ea dum properat: digressu mæsta Columbi  
 Anacaona dolet, pelagumque insurgere rursus  
 Vellet, & inuisas absumi fulmine naues;  
 Et penitus patriæ reges exosa Quiquicia  
 Se propriam huic dicat, & tædis adiungier ardet:  
 Illa quidem à caro numquam sitientia vultu  
 Lumina declinat, nec quenquam ex agmine tanto  
 Magnanimum præter Ligurem videt; illius omnes  
 Suspen-*

*Suspensa bibit aure sonos, illum arma gerentem,  
Depositisque armis unum miratur, in unum  
Usque inhians oculos iucundo pascit amore.*

*At ubi nox terras nigris amplectitur umbris,  
Aut sibi de caro tantum Duce somnia quarit,  
Aut longam in lacrimas trahit, & suspiria noctem.*

*Talibus ardentem curis, animoq; furentem  
Inflamat magis Asmodeus, stimulisque fatigat:  
Magna parat; notū quid amans, quid scemina possit.*

*Ergo per noctem dilecti nuntia vultus  
In somnis misera simulacra immittit amanti,  
Undantemq; animum exagitat; trahit illa furorem  
Ossa per, & venas, cecoq; in pectore gliscens  
Non iam se capit ignis; hiat vesana mali vis,  
Perq; oculos fluit in lacrimas, mox somnia mente  
Dum repetit, vanaq; animum dulcedine pascit,*

*Talia secum ardens. Vtinam me nocte perenni  
Vinciat alta quies: vite, non mortis imago  
Illa futura mihi, somnus si talia semper  
Visa feret, mecumq; aderit mea vita Columbus.  
Quid loquor? instabili quid in hospite, cuius, ut ipse,  
Errat amor, mentem defigis regia Virgo?  
Scilicet is; patrie quem non aspectus, & agri  
Nec prece, nec lacrimis forsā tenere parentes,  
Externa ne sede lares mutaret anitos,  
Nauis fragumq; fretum, & pelagi truculenta subiret;*

*Scilicet is molli sensus submittet amori?  
 Illum ego crediderim, potuit qui talia, cautes  
 Duritie, tumidique undas euincere ponti:  
 At non hac Dux magne oculi, moresque dedere  
 Signa tui, seuam nec pulchro in corpore mentem  
 Credibile est posuisse Deos: quod si aspera ferro  
 Corda geres, blandasq; preces, lachrimosaq; flectent  
 Verba reluctantem: nec certe ego digna repelli:  
 Ten' igitur subiecta tibi Cypanga videbit  
 Tendentem regina manus, gemitusque cientem  
 Fæmineos? quam non promissa ingentia Regum,  
 Non humiles flexere preces, non dona procorum,  
 Coniugio tantos ut dignarere maritos;  
 Nunc liguri te sponte offers, alienaque lecti  
 Vincla subire paras? quid si te spernat, & agram  
 Deferat alta petens mansuescere nescius hospes,  
 Et tua dicta idem ferat, & sua carbasa ventus?  
 Tunc numquam tales tetigisse optabis amores  
 Nequicquam, & seris assurges vana querelis.  
 Cur ego me tristi augurio, cur omine lauo  
 Prosequor? haud talē (neq; enim nox nescia veri est)  
 Somnia promittunt: ignoti tædia ponti  
 Scilicet, erroresq; vagos, alienaque regna  
 Praeponat proprio imperio, & dotalibus Indis:  
 Ille meas potius lachrimas, vocesque benignus  
 Audiet, & mecum hic concordēs exiget annos*

*Tunc*

*Tunc Duce sub tanto nostri se extendere fines  
Imperij supra Cubam, super ultima longe  
Littora Iamaica aspiciam, frustra q̄, feroces  
Cannibali nigro sedabunt tela veneno.*

*Ipsa humiles inter populos, gentesque subactas  
Septa armis, folioque alte subnixta superbo  
Et colar, & felix mirando coniuge dicar:  
Quod si forte alias classem conuertet ad oras,  
Per freta longa sequar, casus quicumque manebunt,  
Semper erit caro comes Anacaona Columbo.*

*Pone metus, accinge operi, flammisque fatere  
Ipsa tuas; equidem huc tot vasta per equora vectam  
Crediderim Cemijs classem venisse secundis.*

*Sic ait, atque animum, felicibus ebria curis  
Speque tumens, placito permittere certa furori,  
Ut faciles aditus, & mollia naeta loquendi est  
Tempora, nunc blandis Ductorem affatibus ambit;  
At simul ut caro defixit lumina vultu,  
Admirans silet, obtutuque immobilis haeret  
Incipit, at fauces vox interrupta relinquit,  
Inuitamq̄ premunt lacrimae, & suspiria linguam:  
Nunc venti infidi furias, quos equore fluctus  
Excierit, quanto classis demissa periculo  
Commemorat, tum ne dubio se credere ponto,  
Ne velit ignota caput ultro opponere morti,  
Hortatur, miscetque preces, lacrimisque fatigat  
Cunctan-*

Cunctantem, & varijs assultibus irrita tentat;  
 Mox sic canentem dictis affatur Inaspim,  
 Qui tenero magna custos infantis ab suo,  
 Regina multo ante alios dilectus amore.

O mihi iam longo perspecte Inaspis ab usu,  
 Aetatis qui lora manu fluitantia prima  
 Rexisti, cura amplexus me pœne paterna;  
 Dum thalamum magni, quos hæc habet Insula, reges  
 Certatim petiere meum, tu semper operti  
 Conscijs, interpretisq; animi, rectorq; fuisti,  
 Numquam, ut scis, equidem; seu sic fortuna ferebat,  
 Seu vis alta Deum, qui regna hæc nostra tuentur,  
 Regum animus, quibus est, pacesque, & prælia cura;  
 Numquam equidẽ mentẽ his potui submittere tadis,  
 Quin tanti me propositi laudare tenacem  
 Sæpe soles: nunc sollicitam cura altior urget,  
 Quam noctis turbata quies, somnusq; per umbras  
 Ingeminant: hæc verba Ducis, vultumq; Columbi,  
 Et mores animo referunt; inuita fatebor,  
 Ni tamen ipsa meos impellunt numina sensus,  
 Fixus hic insedit menti: sit dignus amari  
 Ille licet; nam cui tantum decus enitet ore?  
 Nam cui maior inest iuuenili in pectore virtus;  
 Ipsa tamen Cemij's obstare volentibus ausa  
 Non semel ardentes: contavi extinguere flammæ:  
 Hoc magis increuere, imisque hæsere medullis,

Nunc



Nunc timeo, mea ne superos auersa voluntas,  
 In furias, rabiemq; trahat, quibus insuper equum  
 Reddere me grates, & dona offerre fuisset,  
 Vxorem tanto quod me legere marito:  
 Qui socijs, & classe potens terrestria secum  
 Fulmina habet, quibus igne tonet, victorq; Quiqueiã,  
 Iamaicamq; omnem sub iura Cypangia mittat;  
 Ergo ne nostris nunc soluere tentet ab oris,  
 Sum verbis aggressa Ducem; nihil ille moueri,  
 Seque parare vie: quod si cœpta efferâ firmet  
 Exitus, ecquid erit misera mihi, solus hic omnes,  
 Dum loquor, excussit timor agro e pectore sensus,  
 Faucibus & vox fracta hæret: tu, cuius & annis,  
 Assuetaq; malis equum est me fidere menti,  
 Quam potes, affer opem: flammam non sponte recepi,  
 Quæ nunc aucta mora possesso in pectore regnat.  
 Quod si hæc mēs Cemio est immota, nec obstat Hayti  
 Gloria, quæ magnis se attollet in æthera rebus,  
 Ipse viam inueniet. Nec plura effata quieuit,  
 Totus & in vultu patuit dolor; atque ubi paulum  
 Conticuit, contra sic est exorsus Inaspis.

Quod te cara mihi atque eadem Regina volentem  
 Exhibeas, penitusq; animi interiora recludas,  
 Iure facis: nostro totum hoc debetur amori,  
 Quo te nascentem excepi, qui creuit in annos,  
 Auctaq; cui, quantum tibi roboris, addidit etas;

Non

Non ego, thesauri quamuis prædiues auiti:  
 Imperijque potens sibi Guarionexius vltro  
 Te iungi tædis properet, omnesque Quique iæ  
 Certatim tua magna petant connubia Reges;  
 Tantorum quemquam è numero legisse procorum  
 Te thalami comitem optavi: tua forma, Cemumque  
 Nobilitas de gente, Cemis tua proxima virtus,  
 (Quam partem, cum sis mea sola, & maxima cura,  
 Iure meæ iuuat interdum me dicere cura)

Longe alios meruere viros: hic, cuius & oris  
 Maiestas, visque alta animi non semine nostro  
 Ostendere satum, te dignior omnibus vnus.  
 Atque vtinam Diui spirent in vota secundi,  
 Quos ego te primum precibus, donisque per aras  
 Sollicitare velim: nihil ò regina volenti  
 Difficile, inuictumque Deo, qui sæpe labores,  
 Et curas hominum euentu frustratur inani,  
 Vt superum memores votis æterna fatigent  
 Numina, diffidantque sibi: nec fidere tantum  
 Fas precibus, bonus optatis dum defluat alto  
 Finis, vt interea penitus sedeamus inertes.  
 Tu Cemios per templa voca, mihi sit labor omnes  
 Explorare aditus, omnemque impendere curam  
 Vt Ducis Ausonij mentem, ac corda aspera frangã.  
 Sic ait, ardentemq; animum per plurima voluit.  
 Ergo votiuas indicit sacra per aras,

Cinctaque

Cinctaque virginea comitum regina caterua  
 Ad numerū canit, inq; orbem pede prapete pernix  
 Pellit humum, leto sociæ clamore sequuntur  
 Crura coloratis incinctæ & brachia conchis.

Primus it agmen agens picto Boitius ore  
 Horrendus, lateri pendent cui tympana leuo;  
 Ille manu Cemium sublimi in sede videndum  
 Collocat, hinc aræ cerealia liba per artem  
 Secta, rosasque offert, templo quæ mystica matres  
 Munera textilibus secum aduexere canistris.  
 Tunc genibus super incumbens regina reflexis,  
 Non audituros vocat in vota irrita Cemos.  
 Sancte ferum semel ò sublimi tange flagello,  
 Marmoreosque animos, & abenea pectora rumpe.

Interea formas sese mutauit in omnes,  
 Inque preces omnes senior descendit Inassis,  
 Molliat ut seuas Ducis intraëtabilis aures,  
 Ille iter excusat, caussasque adiungit eundi,  
 Scilicet hoc mentem, regisque haud mollia iussa  
 Edocet esse sui, quæque hos portarat in usus  
 Ludicra dona dari populo iubet. ilicet olli  
 Candescens vitrum, & pellucidulam crystallum  
 Constatam in miras diuersa ex arte figuras  
 Accipiunt, versantq; manu, nec imagine pascunt  
 Quantum oculos fragilis candenti in luce metalli  
 Dum proprios speculi mirantur in æquore vultus

I

Vitraque

*Utraque inoffensos transmittunt splendida visus.*

*At postquam cura in somni a sidiuoq; labore  
 Instaurata ingens stetit alto littore classis,  
 Lentaque deduc̄ta texerunt mari ora naues,  
 Certus inire viam ac lustrata relinquere regna  
 Christophorus, classē conscendi, & castra moueri  
 Imperat, innumeras frustra Anacaona morandi  
 (Ingenium timida furor inspirabat amanti)  
 Innectit causas, luctusq; incendit amarus  
 Ne quicquam, nullis animum quippe ille mouetur  
 Vocibus, & lacrimas auersa respuit aure.*

*Tū vero sc̄data genas, & pectora virgo  
 Scissa manu, fletuq; oculos accensa tumentes  
 Ibis, ait, nec te quicquam Anacaona mouebit?  
 Ibis, & immiti morituram funere linques  
 Crudelis? quo tendis? & extera littora queris?  
 Quin etiam dum seuit hyems, turbata procellis  
 Per maria ire paras, quid si deserta ferarum  
 Saxaque Cannibalum fugeres? tua regna relinquis  
 Meque fugis, saltem ab, si te fastidia nostri  
 Tanta tenent, spatium precor, exiguamque furenti  
 Da requiem, dum speratos perferre dolores  
 Fortius ediscam, non, tu cum nostra subires  
 Littora, & ignotos intrares aduena portus,  
 Bella tuli, & prima vetui considerare terra,  
 At si nulla tua tangit te cura salutis,*

*Firmaque*

*Firmaque adhuc animo sententia perstat eundi,  
 Me quoque ser tecum, & spumosas tolle per undas,  
 Hoc precer, exiguum hoc munus moritura reposco.*

*Talibus orantem, lacrimis immobilis Heros  
 Multa dolens, agramq; animi solatus amantem,  
 Deserit. At postquam facientem vela Columbum  
 Illa videt, certumque abitus, correpta dolore  
 Exanimis cadit, atque oculos nox plurima preßit  
 Excipiunt famulae, manibusque in tecta reportant  
 Regia, pallentem, ac gelido sudore fluentem,  
 Et tacitos imo quæstus sub corde cientem.*

FINIS LIBRI SECUNDI.

cc

